Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/decensurislatae0000saca

DE CENSURIS LATAE SENTENTIAE

Sac. ALBERTUS D. CIPOLLINI
ETHICAE ET THEOLOGIAE MORALIS PROFESSOR

DE

CENSURIS LATAE SENTENTIAE

IUXTA

CODICEM IURIS CANONICI

ALMA COLLEGE
348.63
LIBRARY
C495
Alma, California

TAURINI (ITALIA)
Ex Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae, S. RR. Congr.
et Archiepiscopi Taurinensis Typographi
—
MCMXXV

26541

V. *Nihil obstat.*

Taurini, Nonis Iuliis 1925.

Sac. Aloysius Coccolo, *Rev. Del.*

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Prov. Gen.*

(15) omnia iura vindicabuntur (16-vii-25-1M).

AD LECTOREM

Novum nolui cudere opus; scio enim nihil sub sole novi, et post editum Codicem Iuris Canonici plures in lucem prodiisse Commentarios in censuras, a viris etiam scientia, eruditione et sano iudicio illustribus. Attamen, quia difficile sane est in quavis materia opus invenire undequaque perfectum, neque auctor est, puto, qui de suo opere id praesumat, haud inutile existimavi aliorum studiis et mea conferre, ut plurium in unum conatibus illa attingatur perfectio, quae uniuscuiusque tentamina continuo effugit.

Id profecto ideam ingerit et meum me attulisse lapidem in aedificationem. Nescio an ita sit, quia quos et quot lapides alii congesserint ignoro: consulto enim abstinui ab aliorum laboribus scrutandis eoque magis usufruendis: nolui quempiam me inter et canones arbitrari, ne meo forte abdicarem iudicio et interpres fierem interpretum. Si quid igitur novi est in hoc Commentario, id est quaedam calami independentia, qua fuit exaratus. Ideo

paucas omnino invenies veterum citationes, eorum scil. qui ante editum Codicem Iuris Canonici scripserunt, nullas hodiernorum auctorum.

Si reperies me prae aliis interpretatione vel semel profecisse, sit Deo laus et gloria: secus meum Commentarium, quasi lapidem ad aedificationem inutilem, proiice abs te; melius est enim cum uno libro prae ceteris optimo in coelum intrare veritatis claraeque visionis, quam plures libros habentem mitti in gehennam erroris et confusionis. Bonae tamen intentionis, si non laudem, benevolam saltem agnitionem, ne, quaeso, mihi deneges. Vale!

E Seminario SS. Cyrilli et Methodii
Orchard Lake, Michigan
In Foederatis Statibus Americae.

AUCTOR.

DE CENSURIS LATAE SENTENTIAE

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE

Materia huius capitis quinque absolvitur articulis: de censurae scilicet 1° notione; 2° speciebus; 3° auctore; 4° subiecto; 5° absolutione.

Sit igitur

Articulus I.

De censurae notione.

CENSURA est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur. Can. 2241.

1. - EXPLICATIO. Dicitur 1° *poena;* scilicet medicinalis, quod sequentibus verbis « donec, a contumacia recedens etc. » satis declaratur; ideo, cessante contumacia, absolutione auferenda; nam tandiu medicina durat quandiu morbus. — Hinc censura proprie dicta non potest ferri in perpetuum vel ad tempus determinatum vel ad beneplacitum vel pro crimine mere praeterito, i. e. nullum habente tractum successivum, quo vel nunc delinquentis mala voluntas quodammodo continuetur. Si quis igitur sit perfecte emendatus et pro crimine

iam satisfecerit, puta, parti laesae iniuriam compensaverit, scandalum reparaverit etc., censura puniri non potest, i. e. per modum censurae, etsi eadem puniri possit per modum poenae vindicativae, tum ad ultionem delicti, tum ad terrorem aliorum et ad periculum futurorum malorum avertendum. Idem dicendum, si nulla sit spes emendationis delinquentis, quia insanabili morbo frustra medicina adhiberetur; si quae igitur contra eum censura feratur, id esse potest tantum per modum merae poenae, ideoque etiam in perpetuum. Poena medicinalis per hoc distinguitur a poena vindicativa, quod principaliter sit in criminis cohibitionem et delinquentis emendationem. Cum talis sit censura, de eius igitur ratione est ut quandocunque delinquens a crimine per emendationem recesserit, ferri non possit, vel lata debeat amoveri, vel adhiberi nequeat, ubi nullius efficaciae esse deprehenditur. Proinde, si feratur ad tempus, vel in perpetuum, vel in eum qui est iam emendatus vel non emendandus, iam censura esse non potest, sed mera poena vindicativa. Attamen, etsi censura sit poena medicinalis, et, cessante contumacia, absolutione auferenda, potest a censura absolvens, si res ferat, pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere. Can. 2248, § 2.

2. - 2° *Baptizatus;* quia poena nonnisi in subditos legum transgressores ferri potest. Non baptizatus vero neque est subditus neque legis ecclesiasticae censuram comminantis vel ferentis transgressor, siquidem ei non subiicitur. Confer infra *de contumacia.* Insuper, ut inferius dicemus, censura nonnisi bonis externis et communibus Ecclesiae privat, quorum baptizatus, etsi catechumenus, particeps non est, utpote corporis Christi mystici membrum nondum exsistens; tale enim nonnisi per baptismum fieri potest. Baptizatus, inquam, non tantum catholicus; nam etiam haereticus vel schismaticus censuris puniri potest; non modo propter peccatum haeresis vel schismatis, quo ab Ecclesiae unitate recedit, sed etiam propter alia peccata censuris punibilia, quae in haeresim vel schisma iam prolapsus committat. Id quidem iure, nam etiam haeretici vel schismatici, per baptismum, vel in secta susceptum, fiunt et sunt subditi Ecclesiae, etsi culpabiliter, vel inculpabiliter, mente et

corde ab ea alieni exsistant. Attamen, si de illis saltem agatur qui nunquam de facto in ecclesia fuerunt, uti ex benigna matris Ecclesiae mentis interpretatione eximuntur, ne frustra peccata multiplicentur, a legibus ecclesiasticis individualem sanctificationem spectantibus, ita etiam a censuris. Sed neque illud alii concedunt, nisi Ecclesia eos explicite vel implicite dispensaverit.

3. - 3° *Delinquens;* quia poena culpam supponit et quidem per se et communiter culpam externam, quia censura est poena fori externi. Ita sane semper de facto ex toto iure canonico novo, can. 2242, § 1, et vetere. Nec qualemcunque culpam externam, sed *gravem*, quia censura poena est gravis, quae non est pro levibus culpis infligenda, can. cit. Immo ex indole et fine censurae, nec non ex disciplina semper in Ecclesia vigente nonnisi pro *gravioribus* peccatis seu criminibus, quae in perniciem christianae reipublicae facile vergere possunt, censurae ferri consueverunt. Hinc vel in can. 2241, § 2 monetur ne censurae infligantur, nisi sobrie et magna cum circumspectione. — Insuper delictum seu crimen debet esse *consummatum*, scilicet non tantum grave in ratione actus externi, (si quis graviter peccat interius, sed actio in se spectata non est graviter mala, censuram non incurrit), sed tale, quale verba censurae designant. Quare censura lata v. gr. propter homicidium non afficit vel lethaliter vulnerantem, nisi mors ipsa sequatur; neque lata propter incestum turpiter agentem cum consanguinea vel affini extra copulam fornicariam perfectam, aut perfecte fornicantem cum cognata spirituali vel legali, quibuscum copula improprie incestus dicitur. E contra si sub censura prohiberetur ipsa specifici criminis attentatio vel conatus, non requireretur, ad censuram incurrendam, ut crimen effectu compleatur. Tunc crimen adhuc esset consummatum, non quidem secundum propriam ipsius naturam, sed secundum propria legis verba, ideoque legislatoris voluntatem, quae ex verbis desumitur; v. gr. si censura feratur in abortum attentantes vel procurantes, effectu etiam non sequuto. Igitur consummatum intellige secundum verborum proprietatem praecepti vel legis, quae non necessario et semper crimen exigunt in sua specie perfectum.

4. - 4° *Contumax.* Contumacia est despectus censurae; ideo censura cognosci debet, quia non despicitur quod ignoratur. Imo, cum censura proprie dicta sit poena ad cohibendos emendandosque delinquentes, per hoc censura formaliter cognoscitur, quod comminatur: debet igitur censura prius comminari. Despectus autem non necessario intelligitur *formalis*, sed sufficit *virtualis*, qualis nempe habetur, si quis sciens volens legem vel praeceptum, cui bene novit censuram esse annexam, transgrediatur. Porro in censuris latae sententiae, annexis scilicet legi vel praecepto et ipso facto incurrendis, lex vel praeceptum satis monet seu comminatur; ideoque ad censuram incurrendam sufficit, cum censurae notitia, ipsius legis vel praecepti transgressio. In censuris vero ferendae sententiae, etiamsi censura a iure fuerit comminata, semper requiritur monitio, qua delinquens reprehendatur et moneatur a malo recedere, dato etiam, si prudenti iudicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore: ideoque nonnisi ille contumax est, qui, non obstantibus monitionibus, a delicto non desistit, vel patrati delicti poenitentiam, cum debita damnorum et scandali reparatione, agere detrectat. Can. 2242, § 2, coll. cum can. 2233, § 2.

5. - 5° *Quibusdam bonis spiritualibus... privatur;* scilicet externis et communibus, quorum proinde administratio et dispensatio est penes Ecclesiam, prout societas est mediis a Christo ad salutem animarum instructa, quae aliquando exigit ut per ipsam bonorum communium privationem, ideoque ab Ecclesiae corpore quamdam segregationem, delinquentes ad resipiscentiam adducantur. Talia bona sunt sacramenta, Ecclesiae suffragia, indulgentiae etc. Ergo censura non privat bonis internis, uti charactere, potestate ordinis, gratia sanctificante et virtutibus, neque Sanctorum communione, fundata in interna fidei et caritatis unione cum Christo et Ecclesia: ideoque neque bonis externis, uniuscuiusque propriis, uti ex. gr. privatarum precum vel bonorum operum merito aut suffragiis, quae nomine proprio, vel ab Ecclesiae ministris, applicantur. Bonis autem spiritualibus externis et communibus censura privat tantum quoad usum, ita scil. ut non possit censuratus

illis licite et, ut in pluribus, cum fructu uti. Ergo non privat praecise ipsis bonis vel iure seu potestate ad illa.

6. - 6° *Vel spiritualibus adnexis:* scil. bonis temporalibus, quae spiritualia consequuntur seu quae bonorum spiritualium intuitu possidentur, ex. gr. administratio et fructus beneficii, quae conceduntur propter spirituale officium.

7. - 7° *Donec, a contumacia recedens.* A contumacia reum recessisse dicendum est, quum vere delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit; iudicare autem utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut eiusdem promissio seria, necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur. Can. 2242, § 3. In impossibilitate igitur congruam hic et nunc satisfactionem praestandi, sufficit, cum vera poenitentia, seria satisfaciendi promissio. Ergo non amplius requiritur, ut olim, cautio de satisfactione praestanda per pignus vel fideiussionem vel saltem iuramentum. Attamen potest adhuc a censura absolvens id exigere, si prudenter dubitet num poenitentia vera sit, vel satisfactio congrua, vel promissio seria; nam eodem can. ipsius est de hisce iudicare, ideoque, ubi oporteat, satisfactionem necessario praestandam sufficientibus munire praesidiis.

8. - 8° *Absolvatur:* nam censura, uti induci, ita cessare non potest nisi per actum iurisdictionis, quo sententia remissionis pronuncietur, seu per absolutionem. Cumque ex dictis censura sit poena medicinalis, quae cessare debet cessante contumacia, absolutio denegari non potest, quando reus omnia praestiterit, quae praestare debet, ideoque a contumacia recesserit, etsi, ut iam diximus, absolvens possit, si res ferat, pro patrato delicto aliquam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere. Censura vero per absolutionem sublata non reviviscit, nisi absolutio data fuerit cum onere imposito et sub conditione reincidentiae, et hoc adimpletum non fuerit. Can. 2248. Absolutio hic non est necessario absolutio sacramentalis, etsi sacramentali absolutione, ex intentione absolventis, solvi possint et vincula censurarum, quae peccata consequuntur; neque absolutio a censuris limitatur ad forum

sacramentale, siquidem dari potest etiam extra sacramentum, sive in foro interno, sive in foro externo: sed est manifestatio voluntatis Superioris intendentis vinculum censurae auferre. Saltem ad validitatem, immo per se etiam ad liceitatem, nihil amplius exigitur. Nam quodcunque eisdem causis cessat a quibus producitur et ab eis dependet in esse: censura vero nonnisi expressa Superioris voluntate contrahitur: ergo eadem voluntate removetur. Conf. *de absolutione.*

Articulus II.

De diversis censurae speciebus.

9. - CENSURA dividitur: 1° *essentialiter* in: *a*) *excommunicationem; b*) *interdictum; c*) *suspensionem.* Excommunicatio nonnisi rationem censurae habet; ideoque ferri non potest, nisi in personas physicas et, si in corpus feratur morale, tantum reos singillatim afficit, non alios; suspensio vero et interdictum vel censurae vel poenae rationem habere possunt; hinc, per modum poenae, etiam in corpus morale seu communitatem ferri possunt, quo in casu, quoad reos poenae sunt vindicativae, quoad innocentes mere inhabilitates; vel propter delictum mere praeteritum, vel in perpetuum, vel ad tempus determinatum, vel ad beneplacitum ferentis, nullaque praemissa intimatione seu monitione, nulla causa expressa. — Excommunicatio et interdictum omnes afficere possunt, sive clericos sive laicos; suspensio vero tantum clericos. Excommunicatio et suspensio tantum personas, interdictum vero etiam loca. In dubio tamen benignius interpretandum; ideoque suspensio et interdictum in dubio praesumuntur censurae. Can. 2255.

10. - 2° *Accidentaliter*: in *a*) censuras *a iure* et *b*) censuras *ab homine.* Censura *a iure* est quae fertur per modum legis, uti si lex aliquid praecipiat vel prohibeat sub censurae comminatione, vel simpliciter pro quibusdam delictis, et praecise ad ea praecavenda, censuras constituat. Ita censurae quae in Codice Iuris Canonici continentur. Censura *ab homine* est quae

fertur per modum *mandati* vel *sententiae*. *Mandati*, si scilicet, nulla lege censuram comminante, Superior, sive ad urgendam alicuius legis exsecutionem sive ad prudentem oeconomiam, aliquid, in casu particulari, prohibeat vel praecipiat sub censura, vel ipso facto incurrenda, vel infligenda, ex. gr. ut Titius concubinarius intra triduum concubinam dimittat, secus excommunicetur vel excommunicabitur. In casu particulari, ideoque personali praecepto; nam mandatum generale legi aequiparatur: hinc et censura huic mandato adnexa esset a iure. *Sententiae*, si Superior, certus iuridice de delicto et de contumacia, censuram infligat. Sed, cum de censura proprie dicta agitur, contumax nonnisi ille est, cui iam fuerit per mandatum vel praeceptum comminata. Quod si in lege iam contineatur et sit ferendae sententiae, est quidem a iure ante sententiam: post vero sententiam, est ab iure simul et ab homine, sed consideratur tanquam ab homine. Can. 2217, § 1, 3°.

Censura a iure et censura ab homine inter se dupliciter differunt: *a*) Quod lata a iure, cum habeat naturam legis, quae de se est perpetua, perseverat, etiam eo mortuo vel cessante ab officio, qui eam tulit; non ita vero lata ab homine, si is in quem fuit lata, nondum eam incurrerit; *b*) Quod a iure nunquam ferri possit pro peccatis praeteritis, etsi non mere talibus; ab homine vero et pro futuris ad ea praecavenda, et pro praeteritis in eorum emendationem et satisfactionem.

11. - 3° In censuras *latae* et in censuras *ferendae* sententiae. Censura latae sententiae ea est quae citra sententiam iudicialem, statim, ipsa criminis consummatione, contrahitur. Censura vero ferendae sententiae, quae nonnisi per sententiam iudicialem, sive condemnatoriam sive criminis declaratoriam contrahitur. — Sive ab iure sive ab homine, censura esse potest vel latae vel ferendae sententiae. — Est latae sententiae, si id expresse declaretur vel per verba feratur de praeterito vel de praesenti, v. gr. excommunicavimus vel excommunicamus, sit excommunicatus, suspensus etc.; aut volumus esse excommunicatum, suspensum etc.; vel dicatur: ipso iure, ipso facto excommunicetur, suspendatur etc.; vel si, modo imperativo, ipsa persona quasi iubeatur censuram incurrere, ex. gr. incidat in excom-

municationem, maneat interdictus etc. Ipsa persona, inquam, quia secus esset, si imperaretur inflictio censurae; ideoque neque istae formae: reatum excommunicationis incurrat vel reus fiat excommunicationis, sunt latae, sed ferendae sententiae. — Est ferendae sententiae, si iis verbis feratur, quae includunt vel exigunt alterius actionem, uti si per verba feratur de futuro, ex. gr. excommunicabitur, suspendetur etc.; vel modo imperativo, per intimationem, tamen non personae censurandae directam, ex. gr. excommunicetur, suspendatur etc.; vel verbis minatoriis, ex. gr. sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis etc. nisi tamen ex adiunctis aliud colligatur. In dubio tamen benignior est interpretatio facienda; hinc pro censura ferendae sententiae, quae profecto est mitior, standum est. Can. 2217, § 2; 2219.

12. - 4° In censuras *reservatas* et censuras *non reservatas*. Reservatae eae sunt, in quas, quoad absolutionem, nihil potest inferior, nisi a Superiore acceperit. Porro censura ab homine est sua quodammodo natura reservata, ei nempe qui censuram inflixit aut sententiam (censurae scilicet, vel iam in lege statutae) tulit eiusve Superiori competenti vel successori vel delegato. Nam, sive per modum mandati sive per modum sententiae feratur, sese habet ad instar legis in casu particulari: eiusque est solvere cuius est ligare, vel Superioris, vel successoris in eadem potestate vel illius qui ab horum aliquo delegetur. Censura vero a iure tunc tantum est reservata, quum id in lege expresse dicitur, nam lex (et censura a iure sese habet per modum legis) in hoc differt a praecepto vel sententia, quod universaliter feratur ad bonum commune et ad praecavenda delicta. Iamvero legis obligatio, ut sit et permaneat, a legislatore dependet; sed, lege violata et censura contracta, iam amplius non agitur de bono universali, cui prospicit lex, sed de bono particulari, seu de rei emendatione et absolutione, quod legislator inferioribus relinquit, nisi sibi reservet. Inde est quod, sicut inferiores absolvere possunt a peccato, nisi hoc Superior ad suum iudicium revocaverit, ita a censura, nisi hanc sibi reservaverit.

13. - 5° Censurae vero a iure reservatae, aliae sunt *papales*, seu reservatae Apostolicae Sedi: aliae *episcopales*, seu reservatae Episcopis vel Ordinariis; idque vel a Sede Apostolica vel ab eisdem Episcopis vel Ordinariis suas censuras sibimet-ipsis reservantibus. — Papales vero aliae sunt Apostolicae Sedi reservatae *simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo*. Hinc pro diversa specie reservationis, alia atque alia requiritur facultas ad absolvendum delegata. Reservatio tamen certa esse debet iure et facto; secus non urget. Can. 2245, § 4. Iure, ut scil. certo constet de lege et de reservatione: facto, seu ut certo etiam constet de peccato, illo nempe, quod censura prohibetur, et de contumacia. Item si censura est Sedi Apostolicae reservata, eo ipso aufertur Ordinario facultas aliam eiusdem rationis et etiam, videtur, alterius rationis censuram sibi reservatam in idem delictum ferendi. Can. 2247, § 1. Insuper censura a iure lata, sive communi sive particulari, et reservata in aliquo territorio, vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur. Can. 2247, § 2.

Articulus III.

De censurae auctore.

14. - Esse in Ecclesia potestatem censuras ferendi uti de fide ex Dogmatica accipimus. De subiecto nunc tantum inquirimus, et generatim statuimus eos omnes et solos ferre posse censuras, qui in Ecclesia potestate pollent ferendi leges vel praecepta, seu iurisdictionem in foro externo et contentioso habent, vel auctoritative in iis, quae ad disciplinam, morum correctionem etc., pertinent iubere valent. Ideoque possunt:

15. - *Ex personis physicis:* 1° Summus Pontifex in Ecclesia universa, pro eius primatu iurisdictionis in omnes fideles, tum collective, tum singillatim acceptos. Can. 218; 219. Potest vero Summus Pontifex censuras ferre, tum seorsim, tum in et cum Concilio Oecumenico.

2° Episcopi: ii enim sunt ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis cum potestate legifera, iudiciaria, coactiva. Cann. 334, 335, 2220, 2221. — Requiritur tamen ut prius suae dioecesis possessionem canonice acceperint. — Possunt autem Episcopi censuras ferre tum seorsim, tum in Synodo dioecesana (vel Concilio provinciali aut plenario). Censurae in Synodo latae sunt per modum legis; latae vero extra Synodum, sunt per modum statuti. Utraeque quidem a iure: sed nonnisi censurae in Synodo latae, mortuo Episcopo, vel officio relicto, perseverant.

3° Cardinales, non solum suburbicarii in suis dioecesibus, quarum veri sunt Episcopi; sed omnes in suis titulis vel diaconiis, accepta canonica possessione, quia, excepta iurisdictione, omnia ibidem possunt, quae Episcopi in suis ecclesiis, in iis quae ad disciplinam, morum correctionem, servitium ecclesiae etc., pertinent. Can. 240, § 1-2.

4° Metropolitae seu Archiepiscopi, non tantum in suis dioecesibus et in suos subditos, sed etiam in subditos dioecesium suffraganearum: id tamen nonnisi in casibus in iure expressis. Can. 274. Non item Patriarchae et Primates, nisi et Metropolitae sint, quia Patriarchae et Primatis titulus, praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae ad normam can. 280, nullam secumfert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet. Can. 271.

5° Legati a latere: hi enim vera gaudent iurisdictionis potestate, quum sint veluti alter ego cum Summo Pontifice; ea potestate utique, quae ipsis demandatur a Summo Pontifice: sed intra hos limites, possunt sicut praecipere, ita et ferre censuras. Non item Nuntii, Internuntii, Delegati Apostolici, saltem vi muneris seu officii: nam vera auctoritate in foro externo carent, cum eorum missio sit ad advigilandum tantum in ecclesiarum statum et Romanum Pontificem de eo certiorem faciendum. Can. 266; 267. *Saltem vi muneris;* quia ex delegatione alias etiam facultates possunt accipere et plerumque accipiunt.

6° Vicarii et Praefecti Apostolici, quia in sua vicaria vel praefectura eamdem habent, ac Episcopi in sua dioecesi, potestatem. Can. 294.

7° Administratores Apostolici, quia, sede vacante vel plena, eodem iure, quo Episcopus ipse, dioecesim administrant. Can. 315.

8° Abbates vel Praelati *nullius*, quia in suo territorio eamdem potestatem ordinariam habent, quae competit Episcopis residentialibus in sua dioecesi. Can. 323.

9° Vicarii Capitulares, ad quos transit, per deputationem a Capitulo, ordinaria Episcopi iurisdictio. Cann. 198, 432, 437.

10° Superiores Regulares, quoad suos scil. subditos, non alios. Hinc Generales, Provinciales, Abbates, Praelati, Rectores, Priores, Guardiani etc. Ii enim, ad normam constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos: immo in religione clericali exempta iurisdictionem habent ecclesiasticam, tam pro foro interno, quam pro foro externo. Can. 501, § 1.

11° Omnes quibus a praedictis specialis facultas delegetur, quia potestas ordinaria, quae profecto omnibus praedictis competit, potest alteri, vel ex toto vel ex parte, delegari. Canon 199, § 1.

Non recensentur Vicarii Generales, quia hanc facultatem, censuras scil. ferendi, iure proprio non habent, can. 2220, § 2; neque Parochi, quia neque iurisdictionem, neque proprie praecipiendi potestatem in foro externo habent, sed tantum administrationem; neque Abbatissae vel Superiorissae monialium, quia ecclesiasticae potestatis sunt incapaces. Can. 118.

16. - *Ex personis moralibus:* 1° Concilium Oecumenicum pro universa Ecclesia: Plenarium vel Provinciale, respective pro plurium provinciarum territorio vel provincia: Synodus dioecesana pro dioecesi. In Synodo tamen dioecesana tota potestas est in Episcopo: in Capitulo autem et in clero, ex quibus Synodus cum Episcopo constituitur, per communicationem ab Episcopo. Can. 362. Immo ceteris praeter Episcopum nonnisi votum consultivum competit. Eodem can. Et in hoc differt dioecesana Synodus a Conciliis, ut supra, quod in hisce potestas originaliter est in Episcopis Concilio adstantibus, qui, collatis potestatibus et quodammodo in summam collectis, pro toto territorio vel provincia, immo, cum Romano

Pontifice, pro tota Ecclesia legiferant, uti in Concilio Oecumenico.

2° Capitulum Ecclesiae cathedralis, sede vacante; a quo tamen tota potestas transit in Vicarium Capitularem, intra octo dies ab accepta notitia vacationis ab eo deputandum. Can. 432, § 1.

3° Capitula Religiosorum Ordinum, ad normam iuris et iuxta proprias cuiuscunque Ordinis constitutiones, quia auctoritas regens in Capitulis exercetur. Can. 501, § 1.

Nullam vero potestatem censuras ferendi habent Universitates, Collegia etc., quibus potestas legifera, vel stricte praeceptiva, non est.

17. - De *modo* censuras ferendi. Cum doctrina de censurarum auctore arcte connectitur doctrina de modo censuras ferendi, quam ideo hic subiicimus.

Ad censuras licite et etiam valide ferendas conditiones quaedam requiruntur, de quibus breviter. Igitur

18. - I. *Ad validitatem* exigitur: 1° Ut censuram ferens sit compos rationis, scil. sciat quid agit et intendat censuram imponere. — Quid tamen si ex metu gravi? Censura valet, nisi ferens intentione caruerit: hac enim posita, metus, cum sit ei extrinsecus neque cogens (quis enim cogi potest ad intentionem habendam?), non potest actum invalidare, qui nonnisi ab intentione dependet. Potius in casu practice dubitandum de intentione: sed tutius est a tali censura absolutionem procurare aut a censurante intentionem eius agnoscere.

2° Ut suam voluntatem seu intentionem verbis aut aliis signis exprimat. Sane, nisi censura intimetur, nulla ex parte censurandi cognitio indeque nulla obligatio; sed, et insuper, nulli intentionis mere internae effectus iuridici. Immo si censura feratur per sententiam iudicialem vel per particulare praeceptum, non utcunque voluntas exprimenda, sed iuris dispositiones servandae. Can. 2225.

3° Ut ferens potestate gaudeat ordinaria vel delegata: quod patet. Porro in censuris per sententiam vel per praeceptum requiritur ut potestas adsit, quando censura infligitur:

ideoque nulla erit censura, si tempore, quo delinquens ligandus est, potestas quocunque modo ex. gr. quia Superior desierit esse Superior, vel subditus desierit esse subditus, puta, per domicilii mutationem, sive alia ratione, cessaverit, ex. gr. per appellationem, qua cessat seu melius silet, inferioris potestas, censura nondum contracta, in omnibus casibus, in quibus ius appellationem seu recursum admittit, etiam cum effectu suspensivo. Can. 2243, § 2. Excipe quoad domicilii mutationem, si agatur de censura per modum sententiae et processus inchoatus iam fuerit, propter delictum ibi commissum, in priori territorio, in quo delinquens iam erat subditus, quia prioris Superioris iurisdictio, causa inchoata, perseverat.

4º Ut censuram ferens in suo exsistat territorio. Id quidem si agatur de censura per sententiam iudicialem, quae, iuxta canones, publicam exigit causae instructionem seu processum, i. e. exercitium iurisdictionis contentiosae, quae in alieno territorio exerceri non potest, nisi consentiat Ordinarius loci, vel nisi iudex a suo territorio sit expulsus, aut ab iurisdictione ibi exercenda impeditus, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario, etsi iste non consentiat. Can. 201, § 2 et 1637. — Verum cum nemo invitus trahi possit extra suum territorium, requiritur consensus partium. Nulla tamen necessitas censuram ferendi per sententiam; nam, dummodo delictum certum sit, infligi potest etiam per modum praecepti extra iudicium. Can. 1933, § 4. Potest igitur Ordinarius, etiam extra territorium, iure suo censuram ferre, et per modum sententiae, si iuridica causae cognitio in proprio territorio praecesserit, nonnisi tamen ad instar legis servandae in suipsius dioecesi, et, semper, per modum praecepti.

5º Ut in subditos ferat censuram, quia potestas nonnisi in subditos exerceri potest. Cf. infra *de censurae subiecto.*

6º Ut ex iusta causa censuram ferat: secus censura est iniusta et non valet, etsi ille, contra quem lata est, possit per accidens, puta, ad scandalum praecavendum, teneri ad eamdem, quasi validam, exterius servandam, donec de veritate constet.

19. - Quidam adhuc volunt censuram per modum sententiae scripto esse ferendam, servatis omnibus iuris formali-

tatibus. Sed aliud est in examine causae allegata et probata, necnon conclusiones iudicum scriptis consignari, immo et sententiae ipsius scriptum documentum exarari, cuius exemplar etiam ad partium petitionem exhiberi possit et debeat: aliud est scriptis sententiam proferre. Nam sententia viva voce lata a iudice coram notario, qui eam mox in scriptis redigat, certo valet, nisi iure positivo irritetur. Irritari vero non certo constat ex can. 1874, in quo normae quidem praescribuntur pro sententia ferenda, quae claudi debet cum iudicis vel iudicum et notarii subscriptione: sed numne ad sententiae validitatem? Iam olim Innocentius IV, decreto lato in Concilio Lugdunensi et relato in Ius Canonicum (cap. *Cum Medicinalis*, de Sent. excomm. in 6) stricte praeceperat ut excommunicans excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio profertur. Attamen verius S. Alfonsus, probabilius Schmalzgr. docuerunt censuram valore suo non destitui, etiamsi sollemnitates, vel sine iusta causa, omittantur, et censurae prolatio fiat verbo tenus. Censuram, inquam, per modum sententiae; nam, si per modum mandati vel praecepti particularis, sufficit ut coram duobus testibus declaretur et irrogetur. Can. 2225.

Superfluum vero videtur addere, causam censurae, saltem si per modum censurae feratur, esse censurando manifestandam, quia haec manifestatio est a monitione inseparabilis, quae necessario praecedere debet, quaeque non est tantum censurae comminatio, sed etiam indicatio criminis, propter quod reus, si in eo contumaciter perseveret, censura punietur; ideoque pertinet ad validitatem.

20. - II. *Ad liceitatem* requiritur: 1° Ut censuram ferens potestatem habeat expeditam quoad usum. Ideoque iniuste et illicite censuram ferret, qui lege vel Superioris praecepto prohibetur. — Item excommunicatus vel ab officio suspensus: huic enim quilibet actus vetatur iurisdictionis, tum externae tum internae. Hinc etiam haereticus vel schismaticus, nam excommunicatione ligatur. Immo post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, qua excommunicatus vel suspensus iure, quoad effectus, aequiparatur vitando, aut si Superior expresse de-

claret se ipsam iurisdictionis potestatem a suspenso revocare, neque valide ageret censuram ferendo. Cann. 2264, 2284.

2° Ut nonnisi casus gravitate urgente censura feratur: nam, cum poena sit extraordinaria, adhibenda non est nisi caute et cum magna circumspectione; scil. tunc tantum quum, omnibus consideratis adiunctis, eadem deprehenditur esse, vel ad contumaciam frangendam in delicto sane pernicioso, vel ad mali exempli et scandali effectus in societate cohibendos, efficacius tutiusque remedium.

3° Ut censurae sententia non feratur ex affectu odii vel vindictae. Ita omnes. Hinc nemo potest censuram ferre per modum sententiae iudicialis in causa propria, can. 201, § 2, quia in causa propria iudicans praesumitur sinistro affectu duci. Adhuc tamen potest ad sui defensionem censuram ferre per modum mandati seu praecepti. Sicut enim licitum est vim vi repellere, ita licitum est iniustum aggressorem per censuram ab iniuria arcere.

Quidam exigunt etiam quod praecedere debeat monitio: sed haec conditio refertur ad validitatem, uti constat ex dictis de censurae natura. Hinc si Superior sine monitione excommunicet vel suspendat vel interdicat, praesumendum est, nisi aliud certo constet, voluisse, non quidem censuram ferre, sed poenam applicare.

Articulus IV.

De censurae subiecto.

21. - Censura, cum sit actus potestatis, nonnisi in subditos ferri potest: nam subiectio et iurisdictio vel dominatio sunt correlativa. Inter subditos vero quidam frui possunt exemptionis iure seu privilegio; quidam accidentalibus ex causis excusari. Pro triplici igitur hac ratione, huius articuli tres erunt sectiones, ut sequitur, quibus aliquas adiiciemus quaestiones supplementares.

Sectio 1ª — De iis, qui censuris non subiiciuntur.

22. - Censuris, utpote non subditi, non subiiciuntur:

1º *Summus Pontifex*, uti patet, quia nullius subditus est: immo si — quod Deus avertat — quis censura ligatus in Summum Pontificem eligeretur, ipsa acceptatione, immunis a censura evaderet, quia, cum omnis censura vim habeat a Summi Pontificis voluntate, expressa vel legali, non posset illa censura permanere, quin Pontifex esset subditus suipsius, quod absonum est.

2º *Non baptizati*, etiam *catechumeni*. Cf. dicta *de natura censurae* sub num. 2; Concilium Trid. Sess. XIV, cap. 2.

3º *Mortui*; quia, cum sint positi extra statum viae, subditi iam amplius esse non possunt. — Quid igitur si mortui, ut aliquando fit, excommunicantur? Consuetudo mortuos excommunicandi non significat excommunicationem, quae tunc feratur; sed qua excommunicati declarantur, ad terrorem fidelibus incutiendum, ne cum mortuis sepultura vel publicis precibus communicent, quibus viventibus communicare non potuissent. Absolutio vero, quae excommunicatis impertitur, qui cum signis poenitentiae decesserint, directe non ad ipsos, sed ad vivos porrigitur, quatenus isti obligatione solvuntur, qua secus tenerentur, ne cadaver defuncti in excommunicatione sepelirent in loco sacro. Schmalzgr. L. VI, tit. 39, n. 39. Ballerini-Palmieri, *Opus Theologicum*, vol. VII, num. 48.

4º *Peregrini*, seu ad breve tempus alicubi extra locum domicilii vel quasi-domicilii commorantes. Isti ligari non possunt censuris *speciali iure* latis loci illius in delinquentes, sive contra legem communem, sive contra legem specialem illius loci. Non in primo casu, quia, cum peregrinus iuxta communem sententiam non teneatur, utpote non subditus, legibus loci, lex illa poenalis peregrinum, etsi praevaricantem, non attingit. Non in secundo, et a fortiori, quia, si lege non tenetur, deest etiam praevaricatio. Alii contradicunt, quorum sententiam probabilem dicit S. Alphonsus, lib. VII, num. 27; quia, sicut possunt leges ferri, quibus obligantur peregrini, v. gr. de non gestandis armis, ita illis legibus potest addi censura et pere-

grinus, ratione delicti, subditus fit Superiori loci. Sed, si qua est probabilitas huius sententiae, limitari debet ad illas leges, quarum violatio cederet in damnum et iniuriam loci illius; nam, exceptis iis, quae ordini publico consulunt, peregrini non adstringuntur legibus loci, in quo versantur. Can. 14, §1, 2°. — Verum neque hoc est concedendum, quia, ubi agitur de necessariis ad bonum commune, peregrinus delinquit, non praecise violando territorii legem, sed legem naturalem et communem, qua prohibetur damnum et iniuriam aliis inferre: unde potest, uti delinquens, puniri censura ab homine, ut statim dicemus, non vero censura a iure, loci illius proprio et speciali. Peregrini igitur nonnisi censuris ab homine puniri possunt, si scilicet, ratione delicti, iure subiiciantur foro illius in cuius territorio deliquerint. Porro, cum legibus territorii non obligentur, delinquentes non sunt, nisi legem communem violaverint, vel, quod in idem recidit, legem territorialem in iis, quae sunt necessaria ad bonum commune. Delinquentes vero tunc tantum subditi fiunt ratione delicti, quum illa lex aliquid praecipit vel prohibet sub excommunicatione vel aliis poenis a iudice ecclesiastico infligendis: nam profecto tunc iure subiiciuntur iudici seu Superiori illius territorii, in quo delinquunt, qui proinde potest illos contumaces per sententiam punire, postquam eos legitime citaverit. Ballerini-Palmieri, *Opus Theologicum Morale - De Censuris*, num. 61. Verum, si Superior loci sua tantum auctoritate censuram comminetur violanti legem communem, censura nulla est, quia delictum immediatum, ob quod fertur censura, est contumax inobedientia subditi Superiori, praecipienti vel prohibenti aliquid sub censura. Iamvero Superior loci neque praecipere potest peregrino non subdito, neque consequenter specialem sententiam in eum non subditum ferre potest. Bucceroni, *Instit. Theol. Moral. - De Censuris*, num. 1092.

Advenae, cum habeant in loco quasi-domicilium; item vagi, cum non sint exleges, iure habeantur ut incolae loci, in quo reperiuntur, particularibus loci legibus subiiciuntur, ideoque et censuris a iure localibus. Can. 14, § 2.

Sectio 2ª — De iis, qui a censuris eximuntur.

23. - Eximuntur: 1º *Extra sui Superioris territorium exsistentes:* scilicet peregre abiens non potest censuras incurrere a iure latas, seu per modum legis vel statuti, in suo territorio: quia iurisdictio subditum non afficit nisi per territorium. *A iure latas* etc.; nam censuras per modum praecepti, si nempe Superior subdito adhuc in suo territorio exsistenti praeceptum dederit sub censurae comminatione, ipso facto incurrendae, etsi praeceptum violet extra territorium: et censuras per modum sententiae, pro crimine, sive in suo territorio contra legem communem vel legem localem, sive extra territorium commisso, quod tamen moraliter consummari censetur in territorio, absens incurrit. — Censuras per modum praecepti quidem, quia praeceptum est personale et subditum sequitur quocunque abierit, seu ossibus haeret, uti dicitur: ideo et sanctio apposita, i. e. censura. Intellige, uti supra, de praecepto imposito ante discessum: nam certum est, ait S. Alphonsus, num. 23, quod, si Episcopus nullum subdito antea dederit praeceptum sub poena censurae, nequit eum censura punire, si delinquat in aliena dioecesi. — Censuras vero per modum sententiae, quia ratione delicti, quod vel physice vel moraliter in territorio consummatur, subditus, licet absens, subiectus manet foro sui Superioris, ideoque et censuris ab eo puniri potest. At, si crimen sit extra territorium commissum, requiritur ut censeatur in territorio consummari, uti supra; nam secus, vel non est delictum, vel non est in Superiore proprio auctoritas illud puniendi. Ita, si excommunicentur vel suspendantur parochi non residentes vel clerici non accedentes ad Synodum dioecesanam, censuras etiam absentes incurrunt, quia non residentia vel non accessus in ipsa dioecesi veluti consummatur, in qua deberent residere vel accedere. Neque obstat quod citatio fieri nequeat extra territorium, quia ad incurrendam censuram sufficit ut reus in propria domo vel in loco publico sui territorii citetur, vel, extraiudicialiter, per litteras vel per nuntium moneatur: tenetur enim comparere et potest, si contumax, censura puniri. Omnia haec aeque valent, si quis delinquat in

territorio exempto, etsi intra limites dioecesis, nam in eo manens reipsa est extra territorium, i. e. ius dicentis. Praelati vero regulares, quorum iurisdictio est magis personalis quam territorialis, possunt subditos suos censuris ligare ubicunque exsistentes.

2° *Privilegio immunitatis gaudentes*, scilicet: S. R. E. Cardinales, Episcopi, Principes, Religiosi, Impuberes. De singulis breviter.

a) *S. R. E. Cardinales* et *Episcopi*. S. R. E. Cardinales, ratione dignitatis, in lege poenali non comprehenduntur: neque Episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti, nisi expresse nominentur. Can. 2227, § 2.

b) *Principes*, ii nempe, qui supremum tenent populorum principatum, nonnisi a Summo Pontifice censuris (et poenis) puniri possunt. Eodem privilegio fruuntur eorundem filii et filiae, iique omnes, quibus ius est proxime succedendi in principatum. Can. 2227, § 1; 1557, § 1. — Immo, nisi de ipsis expressa mentio fiat, viderentur etiam a censuris pontificiis a iure latis esse immunes, nam quando Summus Pontifex eos comprehendere voluit, expressit his vel similibus verbis: omnes et singuli, cuiuscunque sint dignitatis, etiam regalis etc. Verum id non est concedendum, quia, etsi principes et alii de quibus supra, non possint iudicari et puniri nisi a Summo Pontifice, non exinde a poenis latae sententiae a Summo Pontifice latis sunt immunes, nisi expresse excipiantur. Iamvero iure nonnisi Cardinales excipiuntur et, quoad poenas latae sententiae suspensionis tantum et interdicti, non iam excommunicationis, Episcopi. Quis dicet principes usurpantes vel detinentes bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia non incurrere excommunicationem? nam, cum agatur de usurpatione publica auctoritate facta, ipsi, principes videlicet, sunt praecipue per se vel per alios usurpantes vel detinentes. Et, si violentas manus princeps iniiciat in personam Summi Pontificis, num ab excommunicatione immunis est? Nec valet ratio, quod scilicet Summus Pontifex eos aliquando expresse comprehendat, uti ex. gr. in censura excommunicationis contra appellantes a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium. Can. 2232.

Nam expresse eos nominat, non quasi sub lege poenali, secus ipsi non comprehenderentur; sed ad falsam opinionem praecavendam: in subiecta materia ipsis, ratione politica, licere quod aliis non licet. Et confirmatur, quia in eodem can. 2232 etiam Episcopi expresse nominantur, qui tamen certo excommunicationi subiiciuntur, etsi de ipsis nulla expressa mentio fiat. Canon 2227, § 2.

c) *Regulares*, sive viri sive mulieres, regularibus tamen subiectae, novitiis non exceptis, non possunt censuris puniri nisi a Summo Pontifice et suis Praelatis regularibus: minime vero a locorum Ordinariis, quia, vi privilegii exemptionis, eorum iurisdictioni non subiacent, praeter quam in casibus iure expressis. Cann. 615, 500, § 2. In hisce nempe tantum casibus Ordinarius agit, quoad regulares, ut delegatus Apostolicae Sedis, ideoque potest tunc etiam censuris in eos delinquentes et contumaces animadvertere, nisi speciali gaudeant exemptionis privilegio, quo ipsi possint quidem aliis poenis, sed non censuris puniri, etiam in iis, in quibus alioquin Ordinariorum potestati subduntur.

Alii vero Religiosi, non stricte regulares, necnon Moniales Regularibus non subiectae, nisi specialiter ipsis concessum fuerit, exemptionis privilegio non gaudent et a loci Ordinario dependent, etiam quoad censuras, non secus ac alii fideles. Cann. 500, § 1; 618, § 1; 619. Profecto, nisi loci Ordinarius sit proprius eorum praelatus, ipsi, qua religiosi, non tenentur praecise vi voti ei obedire et, quoad regularem observantiam, non ipsi loci Ordinario, sed suo Praelato regulari subiiciuntur: Episcopo tamen vel loci Ordinario subsunt quoad externam disciplinam. Immo et quoad disciplinam internam in quibusdam casibus iure expressis, praesertim, ubi agatur de religionibus laicalibus, si abusus irrepserint et eorum Praelatus monitus negligat eisdem prospicere. Can. 618, § 2, 2°.

d) *Impuberes*, etsi legibus subiiciantur communibus et, prout doli sunt capaces, possint etiam censuris cohiberi: tamen, ratione aetatis, qua praesumuntur a vera contumacia excusari, eximuntur a censuris (aliisque poenis) latae sententiae incurrendis, nisi in lege vel mandato generali etiam impuberes expresse comprehendantur. Can. 2230. A censuris etiam fe-

rendae sententiae, saltem a iure constitutis, probabilius excusantur, quia neque processum iudicialem neque vim poenae sufficienter intelligunt. Ideoque neque censuris ab homine, etsi possent, convenienter punirentur: melius sane impuberes punitionibus educativis quam censuris corriguntur.

Sectio 3ª — **De iis, qui a censuris excusantur.**

24. - Excusantur: I. *Ignorantes* et *metum patientes:* non quidem ex subiectionis defectu vel privilegio, sed ratione defectus conditionis essentialiter requisitae ad censuram incurrendam, scilicet verae contumaciae seu despectus formalis vel virtualis censurae, de qua iam diximus agentes de censurae natura. Igitur:

1º Ignorantia censurae vel contumaciam omnino excludit, ut ignorantia invincibilis et haec a censura omnino excusat; vel ita eam attenuat ut iam non sufficiat ad tam gravem poenam, qualis est censura, incurrendam, ut quaedam, utut vincibilis, ignorantia et haec iterum a censura excusat. Quaenam? Certo *a*) *ignorantia* pure vincibilis sive facti sive legis sive solius censurae, dummodo crassa vel supina non sit, a censura excusat: non vero ignorantia crassa et supina, quae gravem non aufert actus imputabilitatem, sicut nec ebrietas, omissio diligentiae debitae, mentis debilitas, impetus passionis, si, non obstante imputabilitatis diminutione, actus sit adhuc graviter culpabilis. Immo *b*) etiam ignorantia crassa vel supina et alia, quae minuunt imputabilitatem, excusant, quando lex fertur iis vel similibus verbis, quae plenam cognitionem et deliberationem exigunt: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto:* tunc enim quaevis imputabilitatis imminutio, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis, a censuris (et poenis) eximit latae sententiae. Nunquam vero excusat *c*) ignorantia affectata seu ex industria quaesita, sive facti, sive legis, sive solius poenae, non modo si ex contemptu legis, sed etiam si ex quocunque alio motivo quis ignorantiam affectet. Can. 2229.

2º *Metus gravis* etiam excusat a censura, non modo quando a lege excusat, uti patet, quia, ubi nulla culpa, nulla poena: sed etiam quando a lege non excusat, v. gr. a lege naturali

negativa, qua intrinsece malum prohibetur, quia censetur tunc delinquens potius naturae infirmitate quam vera contumacia delinquere vel, melius, quia, non obstante obligatione legis naturalis, obligatio legis ecclesiasticae de censura cessat: cum leges positivae, praesertim humanae, non obligent cum gravi incommodo proportionato. Ideoque, e contrario, censura manet, quando legis, vel tantum humanae, obligatio manet, scilicet, quando legis violatio seu delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum. Can. 2229, § 3, 3°.

II. *Dubitantes* an censuram incurrerint. Verum dubium aliud atque aliud esse potest. Porro 1° in dubio *facti*, quis excusatur a censura, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ille, qui dubitat utrum suo facto censuram incurrerit, possidet ius spiritualia bona possidendi. Factum non supponitur, sed probari debet. Item 2° in dubio *exsistentiae iuris*, si scilicet dubitatur utrum lex censurae lata fuerit vel crimen, prouti est, sub lege censurae contineatur, seu censurae lex ad illud extendatur, censura vitatur, quia in dubio odia restringenda, favores ampliandi: ideoque verba legis iuxta rigorosum sensum, quo crimen sub censurae lege non includitur, sunt accipienda. Et sane nemini imponi potest gravis poena (et censura profecto est poena valde gravis), a lege sancita, nisi lex, praecise qua talem poenam imponit, sit certa. At 3° in dubio de *legis iustitia* vel *sententiae*, qua censura infertur, censura tenet: excepto casu appellationis in suspensivo, quia praesumptio legislatori favet vel iudici: quae praesumptio non excluditur, nisi morali contraria certitudine. Haec profecto certitudo, si habeatur, quacunque ex causa censura sit iniusta, vel ob falsam facti praesumptionem vel ob omissas legales formas vel ob limites iurisdictionis praetergressos, censura non tenet, neque in foro interno neque *per se* in foro externo. *Per se:* quia per accidens, ad scandalum vitandum, potest quis teneri ad censuram in foro externo servandam. Can. 2219.

III. *Appellantes* cum effectu suspensivo. Appellatio proprie differt a recursu. Hic enim non suspendit latae sententiae effectum: appellatio vero per se suspendit et impedit quominus iudex ulterius procedat. Attamen, quum appellatio

non semper sit in suspensivo, sed, iure statuente, saepe tantum in devolutivo, quo non plus efficacitatis habet quam recursus, promiscue haec nomina iure usurpantur. Porro, censura iam inflicta per sententiam iudicialem vel praeceptum, appellatio eam non suspendit: appellatio igitur est tantum in devolutivo. Censura vero nondum inflicta, appellatio vel recursus a sententia vel praecepto eam comminante eam suspendit, quia appellatione iudicis vel Superioris inferioris iurisdictio suspenditur; illis tantum casibus exceptis, qui a iure excipiuntur, in quibus appellatio tantum in devolutivo admittitur. Licet tamen appellatio censuras suspendat, non suspendit praecepti vel sententiae obligationem, quae servari debet, nisi quis appellaverit, non tantum a poena, sed etiam ab ipsa sententia vel praecepto. Can. 2243.

Quaestiones supplementares.

25. - Quaeritur: 1° *An subiectum censurae esse possit persona moralis seu communitas?* Cf. iam dicta sub num. **9**. *Affirmative*, supposito delicto communi et contumacia: nam, non modo singulae personae, sed etiam communitates Superioribus ecclesiasticis, saltem Summo Pontifici, subiiciuntur, et possunt poenis etiam medicinalibus cohiberi, censuris praesertim, quae tantum in privatione consistunt. Tunc vero censura, uti poena, nocentes tantum afficeret in communitate, alios mere uti privatio. — Attamen huic doctrinae aliqua moderatio est adiicienda, distinguendo inter excommunicationem et alias censuras. Sane *a*) excommunicatio nonnisi per modum censurae ferri potest seu poenae medicinalis, ideoque solum in nocentes. Porro in communitate plerumque nonnulli sunt vel innocentes vel minus quam alii nocentes. Primis medicina non applicatur: secundis non potest aeque eadem, quae nocentibus, poena applicari. Ideo, etsi possint nocentes communitatis excommunicari: communitas tamen, qua talis, non solet neque, videtur, potest excommunicari. *b*) Suspensio vero et interdictum ferri possunt, non solum per modum censurae, sed etiam per modum poenae vindicativae vel per modum merae privationis: ideoque lata in communitatem, sive in vindictam sive in medicinam, etiam innocentes afficit, non quidem uti poena vel medicina, sed

uti privatio. Notandum tamen, quoad suspensionis et interdicti effectus in casu, quod innocentes quidem etiam afficiuntur, sed tantum quoad functiones et iura ipsi communitati, qua tali, competentia, non vero quoad iura et functiones, quae singulis singillatim competunt. Schmalzgr. lib. V, tit. 39, num. 45. Neque exinde, quasi scilicet etiam innocentes suspensione et interdicto puniantur, potest censuram ferens argui iniustitiae: nam, non proprie puniuntur innocentes, sed Ecclesia iustas ob causas sua beneficia et officia tam nocentibus quam innocentibus subtrahit: quod potest. Schmalzgr. *l. c.*, num. 46. Can. 2255, § 2; 2274, 2285.

26. - Quaeritur: 2° *An censura ferri possit in delinquentes ignotos? — Affirmative.* Can. 2242, § 1. Agitur, uti patet, de censura ferendae sententiae, sive ab homine sive a iure. Nam satis est ut constet de delicto et contumacia delinquentis et ut delinquens sciat censura eius delictum et contumaciam puniri. Neque obstat, quod, utpote ignotus, citari non possit; nam sufficit ut citatio fiat in loco publico, unde ad eius notitiam citatio facile pervenire possit. Neque obstat quod, cum nemo teneatur prodere semetipsum, iste non videtur obligari ad censuram in foro externo servandam. Nam certo tenetur in foro conscientiae, in quo itidem tenetur et a contumacia recedere et quaerere absolutionem. Quod, ni faciat, ei imputandum quod in foro externo nequeat censuram servare, quin prodat semetipsum: non minus enim reus violatae censurae est quam violatae legis ille, qui sciens volens, nulla causa excusante, sese iniicit in servandi legem impossibilitatem. Porro nemini sua fraus patrocinari debet.

27. - Quaeritur: 3° *An quis ligari possit pluribus censuris simul? —* 1) *Affirmative,* si agatur de censuris diversae rationis, tum pro diversis delictis, tum pro uno eodemque delicto. Nam alius est effectus excommunicationis, alius suspensionis, alius interdicti, et unus alium non excludit; ideoque non modo delicta diversa, sed etiam idem delictum puniri possunt diversis specie censuris. 2) *Affirmative,* etiam si agatur de censuris eiusdem rationis: nam ad censuras multiplicandas suf-

ficit ut multiplicetur causa. Causa vero multiplex evadit, quando diversa delicta, quorum unumquodque eandem, ex. gr. excommunicationis, censuram secumfert, eadem vel distincta actione committantur, vel si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur. — Neque dicatur censuras eiusdem rationis unam eandemque materialiter et formaliter privationem bonorum spiritualium afferre, ideoque non videri duas eiusmodi censuras posse consistere in eodem subiecto, in quo profecto inveniri non possunt duae eiusdem numero formae privationes. Nam censura, non tam est privatio, quam vinculum causans privationem. Porro vinculum morale multiplicari potest, etsi privatio non multiplicetur, ut manifeste patet in peccatis mortalibus, quorum quodlibet ita hominem privat gratia ut etiam aliud, quantum in se est, privet. Etsi igitur privatio in se magis vel minus non suscipiat, bene tamen suscipit in ordine ad causam, hoc sensu scilicet, quod eadem privatio ex multiplici causa multipliciter infligitur. — Verum et propter eandem causam possunt censurae, non modo diversae, quod patet, sed etiam eiusdem rationis a diversis Superioribus infligi, v. g. a iure et ab homine, a Papa et ab Episcopo, ita ut ab utroque censuratus absolvi debeat. S. Alphonsus, lib. VII, num. 28. Ratio est, quia censurae inflictio ab uno Superiore non adimit alteri potestatem, quam et ipse habet, censurandi, et insuper causa, etsi materialiter eadem, tamen formaliter est diversa: nam id, propter quod fertur censura, non est delictum, sed contumacia in delicto, quam censura frangere intendit. Porro contumacia evadit multiplex pro diversitate Superiorum, qui lege vel praecepto vel sententia delictum cohibere nituntur. Ergo et multiplex censura, nisi unus Superior non intendat quidem aliam censuram irrogare, sed tantum (et de hoc expresse constet) censuram confirmare inflictam ab alio. Attamen, uti iam vidimus, ex praescripto can. 2247, § 1, Episcopi nequeunt et ipsi ferre censuram sibi reservatam in crimen, quod Apostolica Sedes cum censura sibi iam reservaverit.

28. - *Nota.* 1) Ut plures censurae contrahantur propter plura delicta, quorum unumquodque suam censuram secumfert, commissa per unicam actionem, requiritur ut unum specie

ab alio differat, neque sufficit ut unum aliud aggravet intra eandem speciem. Ratio quia secus plura proprie delicta non haberentur, sed unum tantum, licet pro circumstantiis vel notabiliter gravius. Ita non incurrit duplicem, sed unam excommunicationem, qui sacerdotem percutit, qui est etiam monachus: et unam suspensionem, qui sine legitima approbatione praesumit confessiones audire et a reservatis absolvit: et unum interdictum, qui personaliter interdictus divinis assisteret et simul Sacramenta reciperet. In his enim et similibus casibus unum totum habetur unius rationis et illae circumstantiae, i. e. quod percussus sit etiam monachus, quod non approbatus ad confessiones etiam a reservatis absolvat, quod persona interdicta in divinis officiis et Sacramentis participet a quibus interdicto prohibetur, illud magis et magis corrumpunt intra eandem speciem. 2) Ut sint plures censurae, quando a pluribus Superioribus procedunt, requiritur ut infligantur ab unoquoque, quasi ab aliis independenter. Nam, si censura non infligatur, sed tantum declaretur seu denuntietur quis sit censuratus propter delictum, quod a iure sub censura ipso facto incurrenda prohibetur, immo etsi, perseverante contumacia, multoties vel a pluribus denuntietur, profecto censura non est multiplex, sed una. 3) Ut censura multiplicetur propter eandem actionem repetitam, requiritur ut morali interruptione actio sequens sit numero diversa a praecedente: nam, si peccatum sit unum tantum, licet continuata mora et per varias actiones fiat, nonnisi una est censura. Cfr. de numerica peccatorum distinctione in tractatu morali *de peccatis*.

29. - Quaeritur: 4° *An censura, qua reus criminis punitur, teneantur etiam eius complices?* — Distinguendum: non enim omnes sunt eodem modo complices. *Affirmative*, si de illis agatur, qui sensu morali et iuridico sunt eiusdem criminis rei atque exsecutores: ita scil. eadem responsabilitate et culpa, ut merito ipsi dicantur crimen stricte commisisse. Tales sunt causae principales, quae nimirum vel in eandem actionem physicam et criminosam immediate concurrunt, v. gr. ad furtum, ad homicidium etc.; vel ita sane, quod fere idem est, ut sine eorum concursu delictum consummari non potuisset; vel efficaci man-

dato exsecutorem urgent ad crimen suo ipsorum nomine committendum, nam verum est mandantem per alium crimen committere. *Negative*, si agatur de complicibus seu cooperatoribus secundariis, qui consilium, auxilium, favorem praestant ad delictum, quod neque patratur ab ipsis, neque cum eorum opera est necessario connexum. — Id tantum eruitur ex canone 2231 coll. cum can. 2209. Idque prae oculis habendum in singulis censuris interpretandis; prout in novo iure exsistunt, ne nunc, etsi explicite non memorentur, et ii sub censura comprehendantur, qui olim, utpote cooperatores, expresse includebantur: praesertim quia finis Codicis I. C. fuit etiam censuras limitare.

Articulus V.

De absolutione a censuris.

Agendum: 1) de absolutionis natura et necessitate; 2) de absolutionis circumstantiis; 3) de absolvente. Unde tres huius articuli sectiones.

Sectio 1ª — De absolutionis natura et necessitate.

30. - *Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione.* Can. 2248, § 1.

Dicitur:

1) *Quaelibet censura*, lata scilicet per modum censurae: nam, si per modum poenae, puta, ad tempus determinatum vel ad beneplacitum ferentis vel sub conditione resolutiva, sine absolutione cessat, tempore elapso, vel mortuo ferente, aut resoluto eius iure, vel verificata conditione.

2) *Semel contracta;* quia, si agatur de censura comminata, sed nondum contracta, quaestio esse non potest de censura auferenda, quae nondum est; sed de censura praecavenda: praecavetur autem recessu a contumacia vel, per se, legitima appellatione.

3) *Legitima absolutione.* Absolutio est actus iustitiae, quo causa aliqua terminatur in favorem rei, eum auctoritative

declarando immunem, sive tantum iuridice et coram hominibus, ut in iudicio forensi, sive moraliter et coram Deo, a culpa et a poena, ut in iudicio sacramentali. — Absolutio a censura est absolutio tantum a poena; nam ea reatus culpae non tollitur, sed, culpae reatu forte adhuc imputabiliter permanente, poena seu censura potestative aufertur: unde resoluto vinculo, quo tenebatur, quis iterum fit bonorum spiritualium particeps, quibus censura privabatur. Hinc differt ab absolutione a peccatis, qua ipse reatus culpae deletur et, certo, poena saltem aeterna in foro Dei remittitur: non tamen censura, nisi absolvens velit et hoc vinculum a peccato ortum una simul auferre. — In hoc tamen convenit cum absolutione a peccatis, quod utraque idoneam supponit in subiecto dispositionem: absolutio videlicet a peccatis veram poenitentiam, absolutio a censuris recessum a contumacia: item quod, ut absolutio a peccatis, supposita poenitentia, ita absolutio a censuris, cessante contumacia, est debita. — Differt etiam a dispensatione, qua aliquid de communi lege in favorem alicuius relaxatur; nam dispensatio est potius actus gratiae, neque debitus, neque effectum producens irrevocabilem, uti absolutio, qua censura, semel ablata, per se non reviviscit, can. 2248, § 3: cessante enim causa motiva, per se dispensatio cessat, seu legis reviviscit obligatio.

31. - Iamvero, etsi censurae sint praecipue fori poenae externi, absolutio dari potest vel in foro externo vel in foro interno (poenitentiae vel conscientiae). Data in foro externo valet etiam in interno; data in foro interno valet etiam in externo, quando concessio absolutionis probetur vel saltem legitime praesumatur in eodem foro: secus enim potest censura a legitimis Superioribus, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit. Can. 2251. Licet vero absolutio a censura sit independens ab absolutione a peccatis et dari possit extra confessionem, tamen non semper absolutio a peccatis dari potest, non praemissa absolutione a censura; sed tunc tantum quum censura non impedit sacramentorum receptionem, uti suspensio vel etiam interdictum (cfr. *de Suspens.* et *de Interd.*), dummodo poenitens sit dispositus et a

contumacia recesserit. Si impedit, uti excommunicatio, censuratus absolvi non potest a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit. Can. 2250, §§ 1, 2. Tamen, si confessarius prius a peccatis absolverit quam a censura, absolutio a censura valet: immo et absolutio a peccatis, si poenitens sit in bona fide, etsi confessarius graviter peccet.

32. - Forma absolutionis censurae in foro sacramentali est illa consueta, quae pro absolutione peccatorum adhibetur et in libris ritualibus praescribitur. In foro non sacramentali nulla est determinata forma et quovis modo dari potest: sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam. Can. 2250, § 3.

33. - De absolutione quaeritur: *An censuratus teneatur eam petere?* — *R.* Tenetur certo a contumacia recedere, ob quam censura lata est, nam continuatio contumaciae est continuatio peccati. — Tenetur etiam petere absolutionem, saltem si agatur de excommunicatione, quia censura prohibetur quominus vel recurrentia praecepta adimpleat: et quisquis tenetur impedimenta removere, quae praeceptorum opponuntur satisfactioni, saltem si facile possit; ea praesertim quae sua culpa induxit. Hinc merito in iure qui in censura insordescit, habetur uti de haeresi suspectus. Non tenetur tamen per se absolutionem statim petere, quia haec obligatio ex nullo capite eruitur. Si neque peccator tenetur statim adire confessionem, immo nec poenitere; censuratus, eoque magis, non obligatur statim petere absolutionem, dummodo a contumacia recedat. Ceterum patet quod, si praecepto annuae confessionis et communionis satis est faciendum, absolutio a censura, qua quis a confessione et communione prohibetur, intra annum est petenda. *Per se:* nam per accidens, ratione scilicet alicuius obligationis, quae mox urgeat et cui satisfieri non possit, manente censura, potest quis teneri ad absolutionem statim petendam.

SECTIO 2ª — **De variis absolutionis circumstantiis.**

Hae constant ex sequentibus, ex quibus et morale iudicium de absolutionis legitimitate.

34. - 1º *Absolutio a censura dari potest etiam absenti, ignoranti, invito.* Ratio est, quia, sicut poena in eundem statui potest, ita et auferri. Sane ligamen censurae, ut sit vel maneat, nonnisi a voluntate dependet Superioris. Attamen regulariter, i. e. sine urgenti causa, non licet, ne censura contemnatur: idque potissimum valet de invito, praesertim si nondum a contumacia recesserit. Debet igitur absolvendus esse praesens, sese humiliter subiicere et absolutionem petere.

35. - 2º *Etsi non licite*, immo graviter illicite, *valide tamen* absolutio daretur ab Ordinario, *congrua satisfactione* pro damnis et scandalo, vel saltem *seria satisfaciendi promissione non praestita:* immo probabilius etiam a delegato. — De gravi absolutionis illicitate in casu quaestio esse non potest, tum ob iniuriam parti, cui satisfieri debet, tum ob censurae irreverentiam et quasi contemptum, tum ob violatum ordinem iuris, sub gravi praescribentis satisfactionem realem et reparationem praemitti, si fieri possit, vel saltem promitti. Attamen valida esset absolutio ab habente potestatem ordinariam vel quasi ordinariam; ideoque collata non tantum a censuram ferente, vel eius successore vel Superiore, sed etiam ab inferiore, cui ex iure, ratione dignitatis et officii, potestas competit absolvendi a Superioris sententia, v. gr. Episcopo vel Ordinario in papalibus occultis. Ratio quia potestas ordinaria non limitatur hac conditione, nempe de satisfactione praestanda; sicut Superioris potestas dispensandi in sua ipsius lege conditioni non alligatur de exsistentia iustae alicuius causae dispensationis. Unde, sicut Superior in sua lege etiam sine causa valide dispensat, ita Ordinarius a censura etiam sine satisfactione absolvit. Idem iuris esset de delegato, qui utitur delegantis potestate. Verum cum facultas ordinarie ei delegetur cum hac clausula: «satisfacta parte», merito dubitatur an et ipse valide possit; nam, utrum hac clausula conditio exprimatur sine qua non vel tan-

tum monitio, non satis constat. Doctores non conveniunt. Sed affirmandum videtur, prout et graves Doctores absolute docent. Distinguunt enim utrum in commissione seu delegatione forma exprimatur iuris communis *eo modo* quo iuri inest, an vero communi formae iuris addatur *aliquis limitationis modus*. In priori casu statuunt non esse committentis intentionem novam inducere formam seu conditionem, sed esse admonitionem quandam, ut servetur forma communis: quare, ea praetermissa, non irritatur actus, qui alias esset validus, si in commissione forma illa non exprimeretur. Secus in casu posteriori; nam additio illa conditionem importat. Porro clausula illa « satisfacta parte » nonnisi illud enuntiat quod est in iure et eo modo quo est in iure. Ita Sanchez, Reiffenstuel, Covarruvias, Navarrus, Laymann et alii plures. Cf. Ballerini-Palmieri, *Opus Theol.*, vol. VII; *De Censuris*, num. 275 et seqq.

36. - 3° *Absolutio vi aut metu gravi iniuste incusso extorta non valet.* C. unic. *De his quae vi metusve* etc., in 6°. Idque intellige: *a*) Etsi vi vel metu absolvens intendat absolvere; nam actus iure irritatur. *b*) Etiam de revocatione censurae latae sub conditione vel ad diem, nondum purificata conditione vel die pendente, ideoque censura nondum contracta: idem enim est iuris. Suarez, *De Censuris*, disput. 7, sect. 6, num. 13. *c*) De metu (vel vi) saltem indirecte incusso ad absolutionem extorquendam, secus non esset absolutionis causa, sed tantum occasio. *d*) De metu (vel vi), non modo a censurato, sed a quocunque demum iniuste incusso, inscio etiam eo, qui absolvendus est. Ius enim actum invalidat propter iniuriam et non distinguit. Sed hoc idem ostendit absolutionem valere, si iuste vis inferatur vel metus incutiatur, supposita profecto in absolvente absolvendi voluntate.

37. - 4° *Neque valet absolutio collata ex causa motiva falsa:* quia deest absolvendi intentio, puta, si reus falso asserit se esse emendatum, vel parti laesae satisfecisse; ideoque iudex eum absolvat. *Ex causa motiva:* nam, si causa falsa sit tantum impulsiva et secundaria, vel si iudex perspectam habuit causae allatae falsitatem, absolutio valeret. Ita S. Alphonsus cum communi.

38. - 5° *Is, qui pluribus censuris detinetur, potest ab una absolvi, relictis aliis:* quia inter eas non est necessaria connexio; quod patet de censuris, non modo diversae rationis, sed etiam de censuris eiusdem rationis, quae supponunt vel causae diversitatem vel diversitatem Superiorum vel multiplicationem actuum eiusdem criminis. Et reipsa absolutionem ab omnibus, quibus detinetur censuris, non obtinet reus, nisi omnes casus indicaverit: absolutio pro casu tantum expresso valet, nisi absolutio, etsi petita pro casu particulari, conferatur generalis, qua Superior absolvere velit et absolvat etiam ab aliis, si quae sunt, censuris. Tamen absolutio etiam generalis non valet pro mala fide reticitis vel pro censura specialissimo modo reservata Sedi Apostolicae. Can. 2249.

39. - 6° *Absolutio valide dari potest etiam conditionate: non vero licite, saltem per se et communiter loquendo.* Quaestio proprie non est de conditione de praesenti vel de praeterito: constat enim absolutionem esse validam vel invalidam prout conditio exsistit vel non. Posse autem conditionem eiusmodi, non extraneam et omnino impertinentem, sed absolutioni veluti insitam, adiici in dubio censurae, ut ex. gr. a confessario, qui ita absolvit: absolvo te ab omni vinculo etc., in quantum possum et tu indiges: vel in dubio dispositionis ad absolutionem, ex. gr.: ego te absolvo etc., si satisfecisti, vel si vere et ex corde a contumacia recessisti, quando absolutio urget et differri non potest: vel, extra dubium, ex rationabili causa, ad metum salutarem incutiendum vel tollendam ignorantiam etc., extra controversiam est. Quaestio potius est de absolutione sub conditione de futuro, ex. gr.: ego te absolvo, si satisfacies, si scandalum reparabis, si restitues etc. Profecto absolutio non valet nunc, ut patet, quia haec conditio, si est vera conditio, nonnisi suspensiva esse potest. Quis dicet absolutionem iam nunc cum effectu collatam deinde effectu vacuari defectu conditionis? Sed valebitque tunc, conditione verificata? Affirmandum omnino, quia hic modus absolvendi nullo iure, naturali vel positivo, irritatur. Non quidem *naturali*, quia censura eiusque effectus, ut sit vel maneat, pendet omnino a Superioris voluntate; ideoque, si ipse vult ut absolutio, hoc vel illo eveniente, rata sit, ita erit. Praeterea

nemo negat censuram ferri posse sub conditione de futuro: ergo et absolutio, immo et a fortiori, quia maiore favore digna est. Suarez, *De Censuris*, disput. 7, sect. 8, num. 7; Schmalzgr., lib. V, tit. 39, num. 103; Laymann, lib. I, tract. 5, p. 1, cap. 7, num. 1. Non *positivo;* quia nihil contrarium eruitur ex iure: et regula 50 Iuris in 6°: « *Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem* », qua nonnulli nimis permoti sunt, non universim est intelligenda de actibus legitimis, sed de illis tantum, quibus ex propria natura vel institutione repugnat diei vel conditionis adiectio. Iamvero, etsi repugnet censuram proprie dictam, scil. poenam medicinalem ferri ad tempus seu diem, puta, ad triennium; non repugnat tamen ut tandiu duret, quandiu pertinacia perseveraverit: id enim est potius de natura censurae. Neque est simile cum absolutione sacramentali, ut nonnulli tenent negantes validitatem. Nam absolutio sacramentalis, ex Christi institutione, est forma, quae simul cum materia, seu actibus poenitentis, ad unum signum constituendum concurrit, significativum et causativum gratiae, cuius effectus, qui neque directe ab intentione pendet ministri absolventis, suspensus manere non potest. Nihil huiusmodi est absolutio a censuris, quarum valor, positis de iure ponendis, unice pendet a Superioris voluntate. Attamen, etsi valide, illicite, saltem communiter, ita absolutio daretur, nisi scilicet aliqua causa cohonestari posset, uti monet S. Alphonsus; et quia est contra Ecclesiae morem, et quia Superioris, uti iudicis, est iudicare de satisfactione et recessu a contumacia, antequam absolvat, et quia ansa inde sumi posset a reo ad satisfactionem et emendationem differendam, et quia semper expedit ut, exhibita satisfactione et correcta contumacia, peccator humiliter se praesentet Ecclesiae ad obtinendam absolutionem. Suarez, ibidem.

40. - 7° *Absolutio dari potest ad reincidentiam*, ita ex. gr. ut, nisi absolutus aliquid praestet intra certum tempus, puta, nisi restituat, vel nisi Superiorem adeat personaliter vel per epistolam, in eandem reincidat censuram, a qua est absolutus. Id est certissimum et manifestum et usu Ecclesiae receptum. Sit in exemplum casus absolutionis in necessitate vel in peri-

culo mortis, iuxta cann. 2252 et 2254. Item certum est, cum agatur de nova censura, etsi eiusdem speciei (nam a praecedente peccator est absolutus et non manet ipsi nisi onus implendum) requiri novam culpam et contumaciam: idque ex natura rei, ut videtur; sed profecto ex Ecclesiae intentione et praxi. Ideoque, si absolutus oneri satisfacere non possit et impotentia excusetur, reincidentiae locus esse non potest. Denique patet reincidentiam, praecise quia est nova censura, nonnisi ab illo absolutioni adiici posse, qui potest censuram ferre, neque esse admittendam, nisi sit Superioris voluntate vel iure expressa: agitur enim de re odiosa. S. Alphonsus, numm. 123, 125; Laymann, part. 1, cap. 7, num. 8.

Sectio 3ª — **De absolvente a censuris.**

Distinguendum inter absolutionem extra periculum mortis et casum gravis necessitatis: et absolutionem in periculo mortis vel in casu gravis necessitatis: nam pro triplici hac hypothesi aliud et aliud a iure decernitur. Igitur haec sectio in tria puncta dividitur.

Punctum 1: *De absolutione a censuris extra casum mortis et gravis necessitatis.*

41. - *Extra mortis periculum possunt absolvere:*

1° *A censura non reservata, in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicunque iurisdictionem in foro externo habeat in reum;*

2° *A censura* ab homine, *ille, cui censura reservata est ad normam can.* 2245, § 2; *ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium trastulerit;*

3° *A censura* a iure reservata, *ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata* Episcopo *vel* Ordinario, *quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata* Sedi

Apostolicae, *haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura* simpliciter reservata *sit, sive specialem, si* reservata speciali modo, *sive denique specialissimam, si* reservata specialissimo modo, *salvo praescripto can.* 2254. Can. 2253.

42. - Omnia clara: sequentia tamen adiicimus ad uberiorem expositionem. Igitur ad 1°: Dicitur *a*) *in foro sacramentali*, id est, in confessione, et nonnisi in confessione, potest confessarius absolvere a censura non reservata. Sed potestne absolutio a censura separari ab absolutione a peccatis? si ex. gr. poenitens etiam reservata manifestet, a quibus confessarius absolvere non potest, vel interim absolutio differatur. Affirmandum omnino, quia absolutio a censura a confessario daretur in foro sacramentali: nihil amplius exigunt verba canonis.

b) *Quilibet confessarius* potest a censura non reservata absolvere, qui iure confessionem excipit, vel in loco ubi est approbatus, in quo potest excipere non tantum incolarum loci, sed et aliorum undecunque advenientium confessionem, vel ubicunque terrarum, si iurisdictionem habeat ordinariam et confessionem excipiat suorum subditorum. Can. 881. Unde facultas absolvendi a censura in casu tam late patet, quam facultas audiendi confessiones.

c) *A censura non reservata*, a iure tamen: nam Codex nihil hic novi induxit et id manifeste supponit, quia statim excipit censuram ab homine. — Censurae vero a iure censura aequiparatur lata per generale mandatum vel generalem sententiam, quia censura huiusmodi lata ad praecavenda futura delicta est potius a Superiore praecipiente seu legiferante, quam ab eo ut iudice: ideoque et haec a quocunque confessario in foro sacramentali absolvi potest. Sane poena ab homine nonnisi illa proprie est, quae fertur per modum praecepti particularis vel per sententiam iudicialem condemnatoriam, quae profecto et ipsa particularis est. Can. 2217, § 1, 3°.

Tamen, si censura publica sit, absolutio data in foro sacramentali, etsi censuram tollat, non aufert omnes fori externi effectus, nisi publice de absolutione constet; idque ratione scan-

dali praecavendi. Ut autem publice constare censeatur, satis est quod publice constet reum esse confessum habenti absolvendi facultatem, dummodo satisfactio, si qua necessaria fuerit, publice etiam sit exhibita: quandiu enim hoc non fiat, non potest Ecclesiae constare eum recessisse a sua contumacia et ad obedientiam Ecclesiae rediisse. Ballerini-Palmieri, *De Censuris*, num 215.

d) *Extra forum sacramentale* potest absolvere quilibet iurisdictionem fori externi habeat in reum: et tunc absolutio data in foro externo valet etiam pro foro interno, non sacramentali, scilicet conscientiae et poenitentiae, prout forum poenitentiae a foro conscientiae distinguitur: immo etiam pro foro sacramentali, quia, cum censura amplius non exsistat, iam non obstat absolutioni a peccatis. Sed, data in foro interno tantum, subiacet restrictionibus, de quibus supra, quoad absolutionem sacramentalem.

Extra igitur forum sacramentale absolvere possunt, non modo Episcopi vel Ordinarii et omnes ii, qui, utpote iurisdictionem habentes vel potestatem dominativam, in foro externo censuras ferre possunt (cfr. de *censurae auctore*), sed etiam Vicarius Generalis, qui tamen ex iure, sine speciali facultate, censuras constituere non potest. — Non tamen parochi, qui in foro externo, non iurisdictionem, sed tantum administrationem habent.

43. - Ad 2º *A censura ab homine* absolvere potest tantum qui censuram tulit, vel eius Superior vel successor vel delegatus: nam haec censura, ut iam diximus, quasi natura sua est reservata. Sane, si secus esset, iudicum iurisdictio turbaretur et eorum auctoritas contemneretur. Et

a) De *auctore censurae* nulla est quaestio, siquidem, vel ipse censuram tulit, vel in iure iam contentam, sed ferendae sententiae, censuram inflixit: non vero si censuram iam contractam authentice denuntiaverit, uti patet, quia tunc non est censurae auctor. Et potest ipse absolvere, etsi reus alio domicilium vel quasi domicilium transtulerit, quia ratione sententiae contra ipsum latae et intra limites eorum, quae cum sententia iuridice connectuntur, adhuc manet subiectus

iurisdictioni illius, qui sententiam tulit, ideoque sine eius licentia ab alio (nisi Superiore vel successore) absolvi nequit. E contra certum est Superiorem, puta, Episcopum, posse etiam in alieno territorio absolvere suos subditos, in foro tum interno tum externo, dummodo id fiat sine strepitu iudiciali. Si ita, ergo si quis in alieno territorio deliquit et ab illius loci Ordinario fuerit specialiter censuratus, non potest absolvi ab Episcopo vel Ordinario proprio, nisi de censurantis licentia. — Ab auctore tandem censurae, si iure ordinario eam tulit seu inflixit, absolvi potest, etsi appellationem interposuerit; quia appellatio eum non privat iurisdictione quoad ea, quae appellationi non obstant: absolutio vero non obstat, quia idem est finis utriusque, scilicet absolutionis et appellationis. *Si iure ordinario;* nam delegatus iudex, post admissam appellationem, eo ipso privatur iurisdictione.

b) *Superior* intelligitur ille, qui talis sit pleno iure; ideoque Papa respectu Episcopi, Generalis respectu Provincialis vel Prioris etc.: non autem Archiepiscopus respectu Episcoporum suffraganeorum, eoque minus Patriarcha vel Primas; immo neque Legatus *a latere* respectu Episcoporum provinciae suae legationis, nisi in casu appellationis. At Superior pleno iure potest, quia eius auctoritas limitari non potest per inferioris auctoritatem, quam habet sibi subordinatam: ideoque, si a censuris absolvit ab inferiore latis, utitur iure suo, neque inde iurisdictionis iudicum perturbatio neque ulla iniuria consequitur. Excipiendum tamen, nisi aliud ferat consuetudo, sicut contingit in religiosis subiectis Episcopo: nam ii, si excommunicati vel suspensi fuerint a Praelato suo ex causa ad religiosam disciplinam spectante, nequeunt ab Episcopo absolvi, nisi intercesserit appellatio; quippe prima instantia regulari Praelato competit. Schmalzgr., lib. V, t. 39, n. 90; Ballerini-Palmieri, lib. c. num. 207. Ceterum, licet Superiori absolvendi sit facultas ab inferioris censuris, nunquam tamen absolvere debet, etsi valide possit, quin prius satisfactionem plenam exigat et inferiorem praelatum moneat, ne eius auctoritas contemni videatur. Schmalzgr., *l. c.*; Ballerini-Palmieri, *l. c.*

c) *Successor* etiam, qui eandem habet cum antecessore potestatem. Idque valet, etsi successor ad tempus tantum

talis sit, v. gr. Capitulum vel, potius, Vicarius capitularis, sede vacante.

d) *Delegatus*, uti patet, quia ex delegantis agit potestate. Delegatus, inquam, ad absolvendum: nam delegatus ad censuram ferendam absolvere non potest a censura delegantis, si ei committatur nudum ministerium seu mera exsecutio: bene autem absolvere potest, si eius delegatio sit vera et plena, involvens causae cognitionem et alia quae iure praescribuntur.

44. - Ad 3º *A censura a iure reservata* potest absolvere ille, qui eam constituit vel cui reservata est: non alii, inferiores scilicet; idque praecise quia reservata. Qui eam constituit vel cui reservata est: quia censuram constituens non semper eam sibi reservat, sed aliis quandoque, ut ex. gr. Summus Pontifex Episcopis vel Ordinariis. Verum quod et insuper absolvere possint etiam eius successores vel legitimi superiores vel delegati, patet ex supra dictis de censura ab homine. Quare:

a) *A censura reservata Episcopo vel Ordinario* etc. De quanam censura hic agitur: num tantum de censura ab Apostolica Sede Episcopo seu Ordinario reservata, vel etiam de censura ab Episcopo vel Ordinario lata et sibimetipsi reservata? Hoc alterum videretur, quia ius non distinguit neque aliud colligitur ex textu; sed difficultas est, quia censurae reservatio in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, can. 2247, § 2: ideo, cum non sit reservata extra territorium seu dioecesim, non tantum ab Episcopo vel Ordinario, sed et a simplici confessario absolvi potest: et tamen canon hanc facultatem reservat solis Episcopis vel Ordinariis, qui ubique subditos suos et, in sua dioecesi, etiam peregrinos absolvere possunt. Quid igitur? Nonnisi de absolutione in foro extra-sacramentali id intelligi potest, quia profecto ad hanc requiritur iurisdictio in foro externo, quam nonnisi Episcopus vel Ordinarius habet in dioecesi. Quapropter Episcopus vel Ordinarius absolvit non solum a censuris sibi a semetipso reservatis; sed etiam a censuris a iure ab alio Episcopo sibi reservatis, subditos suos et ubique, si ipsi extra dioecesim degentes eas quoquo modo contraxerint, et in sua dioecesi etiam

peregrinos, qui, eo ipso quo sese subiiciunt eius foro, fiunt subditi, quique extra patriam cum censura, qua certe innodantur, secum non ferunt reservationem: confessarius vero ab eisdem censuris, nempe mere episcopalibus, alienos absolvere potest in foro tantum sacramentali. — Si vero canon intelligatur de censura Episcopis vel Ordinariis a Summo Pontifice vel Concilio reservata, tunc ita est manifestus ut nulla indigeat declaratione. — Licet tamen Ordinarius tantum possit absolvere, iure cautum est ut, si confessarius ignorans reservationem poenitentem a censura et peccato absolvat, absolutio censurae valeat, dummodo ne sit censura ab homine vel censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata. Can. 2247, § 3. Ergo ignorans valide absolvit, non modo si agatur de reservatis Episcopo, sed etiam de reservatis simpliciter et speciali modo Sanctae Sedi.

Patet autem ex verbis canonis nullum, quoad absolutionem, esse discrimen inter censuras Episcopo et censuras Ordinario reservatas: *quilibet Ordinarius* ab eis absolvere potest, ut supra. Igitur, non modo Episcopus residentialis, sed quisquis iurisdictionem in foro externo habet quasi episcopalem, uti Abbas vel Praelatus *nullius*, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, vel interim, iis deficientibus, legitime succedens in regimine: immo etiam Vicarius Generalis: pro suis vero subditis Superior maior in religionibus clericalibus exemptis. Hi enim omnes in iure veniunt sub nomine Ordinarii. Can. 198, § 1.

b) *A censuris Apostolicae Sedi* etc. Requiritur in aliis a Summo Pontifice facultas delegata, sive generalis, sive specialis, sive specialissima, prout agitur de reservatis, vel simpliciter vel specialiter vel specialissime. — Porro specialem facultatem habent S. R. E. Cardinales, qui iure, can. 239, § 1, 1°; possunt in sacramentali foro absolvere ubique terrarum et quoscunque, etiam religiosos utriusque sexus, a peccatis et censuris, etiam Apostolicae Sedi reservatis; exceptis tantum censuris specialissimo modo reservatis et illis, quae annexae sunt violationi secreti S. Officii. Hanc vero facultatem concessam S. R. E. Cardinalibus non habent Episcopi. Sane, collatis cann. 239, § 1, 1°, 2° et 349, § 1, 1° manifeste excluduntur.

45. - Verum habentne adhuc Episcopi generalem facultatem a Trident. Syn. Cap. *Liceat*, Sess. XXIV, de Reform. concessam et a S. P. Pio IX, Bulla *Apostolicae Sedis*, par. *Firmam* etc., in fine, confirmatam, absolvendi scilicet a censuris quibuscunque Apostolicae Sedi reservatis, iis tantum exceptis, quae eidem Apostolicae Sedi speciali (et specialissimo) modo sunt reservatae, quando casus est occultus? R. *Affirmative:* et, non modo Episcopi, sed quicunque iurisdictionem quasi episcopalem habent, prout supra, seu quotquot veniunt sub nomine Ordinarii: hancque facultatem possunt etiam aliis delegare, can. 2237, § 2: expresse scil. eam designando, non tantum ad modum actus pro singulis casibus occurrentibus; sed etiam habitualiter, ut nempe delegatus ea utatur, quotiescunque casus occurrat, nam, utpote adnexa iurisdictioni episcopali vel quasi-episcopali, haec facultas sese habet ad instar ordinariae et possunt, vi huius facultatis, peregrini etiam absolvi, cum fiant subditi, loci Ordinarii foro sese submittendo. S. Alphonsus, lib. I, app. 2, numm. 29 seqq.

Sed quandonam crimen est occultum? — R. *Occultum* illud est quod non modo non est divulgatum, sed talibus contigit vel versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat non fore divulgandum, ut si cognoscatur ab uno aliove vel aliquibus tantum in communitate discretis et prudentibus, qui merito censentur silentium servaturi. — Occultum vero aliud est *materialiter*, aliud *formaliter* occultum. Materialiter, si lateat factum seu delictum; formaliter, si lateat imputabilitas, puta, quinam delictum commiserit, vel utrum delinquens sciens volens deliquerit, an censuram incurrerit. — Occultum opponitur *publico*, quod scil. satis iam est divulgatum vel facile divulgandum: et quod dicitur notorium, si omnibus vel maiori parti communitatis notum sit, vel in talibus adiunctis occurrat, ut nulla iam amplius possit tergiversatione, nullo iuris praesidio celari (notorium notorietate facti); vel constet ex spontanea in iudicio confessione delinquentis, aut per sententiam iudicis condemnatoriam, a qua non fuerit appellatum, aut per testes idoneos aliasque legitimas probationes (notorium notorietate iuris). Can. 2197.

Episcopus seu Ordinarius absolvere potest a censuris

papalibus simpliciter reservatis in casibus occultis, sive materialiter sive formaliter occultis. Immo probabile est eum absolvere ab eisdem posse in loco ubi sunt occultae, etsi alibi sint publicae vel notoriae, nisi praevideatur et ibi, ubi sunt occultae, eas fore publicandas. S. Alphonsus, lib. VII, num. 78.

Potest etiam hac facultate uti pro semetipso, delegando videlicet confessario facultatem se (Ordinarium) absolvendi ab occultis papalibus; nam haec facultas est ad instar ordinariae, quae ideo delegari potest neque facultas est, quam Ordinarius in suum commodum exerceat, iudiciaria, can. 201, § 2. — Neque obstat quod can. 349, § 1, 1° potestas confessarii ab Episcopo electi, vi privilegii Episcoporum proprii, ad casus limitetur loci Ordinario reservatos: nam facultas, quae muneri confessarii electi non adnectitur iure, potest ei delegari, si Episcopus iure eam deleget. Atqui ita est ex can. 2237, § 2. Neque exinde minuitur Episcoporum privilegium, quia nempe idem competit cuicunque Ordinario: privilegium enim non est in hoc quod Episcopus vel Ordinarius confessarium delegare possit ad alios vel semetipsum absolvendum a censuris papalibus simpliciter reservatis in casibus occultis; sed in hoc quod Episcopus et, praeter S. R. E. Cardinales, nonnisi Episcopus possit ubicunque sibi suisque familiaribus sacerdotem eligere confessionibus excipiendis, qui ipso iure, si iurisdictione careat, eam obtinet una simul cum facultate absolvendi a casibus Ordinario loci reservatis. Can. 239, § 1, 1°; 349, § 1, 1°. — Id tamen est discriminis: quod si Ordinarius ipse per suum confessarium ab ciusmodi censuris, Sedi Apostolicae simpliciter reservatis, absolvatur, nonnisi in foro sacramentali absolvi potest: si vero ipsemet vel ab ipso delegatus alios absolvat, absolutio dari potest etiam extra Sacramentum seu in foro conscientiae, ut iam Trid. Synodus concessit. Neque enim limitatio illa « *in foro conscientiae*, inquit De Lugo, *De Fide*, disp. 23, n. 64, cogit ad hoc, ut fiat in Sacramento: nam verba illa alium habent sensum, nempe ne prosit absolutio etiam pro foro externo, in quo quantumvis aliquis absolutus sit ab Episcopo pro foro conscientiae, habebitur tanquam non absolutus et punietur omnibus iuris poenis. Haecque sententia, ita De Lugo, communis est fere omnium ». Si ita est, ergo et aliis in hoc eodem foro exercen-

dam, ideoque extra confessionem, potest Ordinarius eam delegare. Novo tamen iure haec limitatio « in foro conscientiae » sublata est, nam can. 2237, § 2 Ordinario absolute conceditur, ut in casibus occultis possit poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis etc.: ergo etiam in foro externo.

Punctum 2: *De absolutione a censuris in gravi necessitate extra periculum mortis.*

46. - Extra periculum mortis, sed in gravi necessitate, est provisum ut sequitur:

Can. 2254, § 1. *In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis.*

§ 2. *Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus.*

§ 3. *Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in can.* 2367, *potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram.*

47. - Ad § 1. *a*) *In casibus urgentioribus* etc. Confirmatur decretum S. Officii 23 iun. 1886, cum omnibus interpretationibus, etiam extensivis, quae successive prodierunt (cfr. in Codice I. C. citat. in hunc can. sub num. 2) et extenditur ad censuras etiam episcopales, latas nempe ab Episcopis. Sane decretum illud nonnisi casus papales respiciebat, quorum tantum fit mentio, et de iis decernit quid iuris sit, attenta praxi S. Poenitentiariae, in casu impossibilitatis personaliter adeundi Sanctam Sedem; ideoque applicari non poterat ad casus episcopales, pro quibus valebat adhuc vetus Decretalium ius: sed Codex, quo ius statuitur nunc vigens, non distinguit et normam tradit pro censuris universim in casu necessitatis. Idque ex tenore confirmatur ipsius canonis; nam sine restrictione, in censuris latae sententiae, cuilibet confessario facultas conceditur absolvendi, si non possit, sine gravi incommodo, differri absolutio, donec Superior provideat. Quinam Superior? ille profecto, cui censura est reservata, sive Summus Pontifex, sive Episcopus seu Ordinarius. Adhuc: absolutus *per se* tenetur deinde recurrere ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum etc. Num indifferens est ad S. Poenitentiariam recurrere vel ad Episcopum? num habuerunt antea Episcopi vel habent nunc ex praesenti canone ius recursum excipiendi, etiam in casibus et censuris S. Sedi reservatis? Minime sane: sed ideo ad S. Poenitentiariam vel Episcopum, prout de casibus papalibus agitur vel episcopalibus. Interim vero Episcopus vel alius Superior potest etiam in casibus papalibus recursum excipere, si speciali sit facultate praeditus; et decreto S. Officii 19 dec. 1900 conceditur sane Episcopis; immo etiam Vicariis Episcoporum Generalibus, haec facultas pro illis reservatis papalibus, a quibus Episcopi, ex facultatibus extraordinariis sibi ad tempus concessis et singulis quinquenniis vel decenniis renovandis, absolvere possunt: neque tunc necesse est ad S. Poenitentiariam recurrere.

Casus vero urgentiores ita explicantur: Ut α) quis non possit ab usu Sacramentorum vel aliorum, quibus censura privat, abstinere, sine periculo gravis scandali vel infamiae: idque, uti patet, supponit censuram esse occultam, nam secus quaestio esse non posset de gravi scandalo vel infamia perti-

mescenda: immo potius scandalum haberetur, si censuratus sacris uteretur. Hinc in canone nonnisi censurae latae sententiae memorantur: nam in censuris ferendae sententiae, censura per sententiam iam inflicta, haberetur notorietas saltem iuris, quam communiter consequitur et notorietas facti: quo in casu ratio scandali vel infamiae vitandae amplius non urget. At, ubi de censuris agatur latae sententiae, perinde est, sive sint a iure, sive sint ab homine; scilicet sive lex sub censurae comminatione ipso facto incurrendae, sive Superior praecepto particulari sub eadem comminatione aliquid praecipiat vel prohibeat: in utroque casu confessarius, stante scandali vel infamiae periculo, potest absolvere. Neque ideo in censura ab homine auctoritas Superioris contemnitur, quia necessitas removet omnem, vel speciem, contemptus, et quia absolutio poenitentem non eximit a Superioris iudicio subeundo, ut patet ex sequentibus, quae in canone habentur.

β) Aut durum sit poenitenti diutius permanere in statu peccati, a cuius absolutione per censuram prohibetur, donec Superior competens provideat. Casus, tunc etiam, urgentior habetur, in quo facultas absolutionis cuique confessario conceditur. Et profecto per se grave est, vel ad brevissimum tempus, in statu mortalis peccati permanere, pro illis saltem, qui non valent actum elicere contritionis, ideoque sacramento indigent ad iustificationem. Ergone potest confessarius semper absolvere poenitentem, licet censura reservata innodatum? Haec conclusio admitti non potest, quia secus regula fieret id quod canon exhibet et permittit uti exceptionem. Igitur non obiective id est intelligendum, sed subiective, attentis scilicet conditionibus et dispositionibus poenitentis, qui aegre consentiat in dilationem, ex qua verum gravamen persentiat, vivumque habeat desiderium absolutionem statim recipiendi: quas quidem optimas dispositiones confessarius pro munere suo conari debet, ut quantum fieri potest, excitet in poenitente, ut eum absolvat.

b) In huiusmodi casibus absolutio dari potest a confessario in foro sacramentali *a censuris quoquo modo*, (ideoque *etiam specialissime*), *reservatis*. Si ita, ergo etiam a peccatis sine censura reservatis, si eadem ratio militat, seu agitur de scandalo

vitando vel infamia aut poenitentis gravamine. Sane decretum S. Officii 23 iunii 1886 agit de *casibus* et censuris et deducitur a fortiori; nam, qui potest plus, potest et minus in eadem linea; casus vero cum censura reservatus est gravior. Unus tamen et unicus est casus papalis reservatus etiam ratione sui, falsa videlicet denuntiatio, qua sacerdos innocens de sollicitationis crimine accusatur apud iudices ecclesiasticos, can. 894: ad quem applicari omnino censemus id quod praesens canon statuit de censuris reservatis, dummodo tamen conditiones serventur in can. 2363 statutae. Cf. in lib. II sub n. **35** seqq.

Ad casus vero episcopales quod attinet, etsi et de ipsis valeat quod de censuris, tamen novo Codicis iure tam amplae fiunt concessiones quoad absolvendi facultatem, et tam facilis, ut plurimum, est recursus ad Episcopum vel ad alium facultate praeditum, ut casus urgentis absolutionis nonnisi rarius occurrat. Sed si occurrit, scilicet si confessarius prudenter iudicet non posse differri absolutionem, donec facultas absolvendi a Superiore petatur, sine gravi poenitentis incommodo, potest poenitentem absolvere, quia reservatio cessat, can. 899, ideoque onus quoque recurrendi.

c) Dari quidem potest tunc absolutio a quocunque confessario, sed *iniuncto onere recurrendi* ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum vel alium Superiorem (etiam Vicarium Generalem, decr. S. Officii 19 dec. 1900) facultate praeditum: non quidem ad obtinendam novam absolutionem, quia poenitens iam fuit a confessario directe absolutus, tum a censura tum a peccato; sed ad recipienda mandata vel monita salutaria. — Recurrendi intra mensem: ab absolutione nimirum accepta, iuxta supputationem temporis, quae can. 32, § 2 et 34 § 3, 1°, 4° exhibetur. — Recurrendi, si id fieri possit, sine gravi incommodo: nam a lege positiva vel praecepto proportionate grave incommodum excusat. Hoc vero incommodum aliquando pro occurrentibus circumstantiis haberi potest. Tale non est quidem famae detrimentum per denuntiationem suipsius Superiori; quia hoc incommodum est reservationi intrinsecum, sicut magna repugnantia et verecundia et amissio famae apud confessarium sunt quid intrinsecum ipsi confessioni, a qua proinde non excusant. Insuper onus est non personaliter comparendi; sed recurrendi, vel per

epistolam, reticito nomine: unde nullum famae periculum est metuendum. Eadem ratione, neque periculum, ne epistolae a sua ipsarum destinatione deviae fiant et ad manus extraneorum perveniant, pro gravi incommodo haberi potest: id enim et raro fit et in scribentis praeiudicium cedere non potest, quia sunt epistolae anonymae. — Attamen, si omnes epistolae essent aperiendae et legendae, seu deberent, antequam expediantur, subire, ut dicitur, gubernii censuram, ut fit tempore belli, excusarem omnino ab onere recurrendi; nam, etsi nullum haberetur periculum et grave incommodum pro scribente, bonum Reipublicae Christianae admodum interest ut tales materiae a laicis, praesertim athei gubernii officialibus, subtrahantur. — At certo ab onere recurrendi quis excusaretur, si merito metueret ne Superior secretum servaret (casus tamen est fere metaphysicus); vel ne secreto in exteriore gubernatione abuteretur contra recurrentem; vel legere et scribere nesciens et per confessarium recurrens non posset responsum et mandata Superioris accipere, nisi longum aggrediendo iter, vel aliorum opera utendo ad ea interpretanda.

Certum est absolutum in necessitate teneri, extra casum gravis incommodi, recurrere saltem per epistolam et per confessarium. Illud *saltem* significat hoc non esse exclusivum medium, quo deficiente, obligatio cesset; sed hoc medium posse prae aliis adhiberi et esse adhibendum, si, aliis deficientibus, unicum maneat. Igitur potest poenitens personaliter comparere, vel ipsemet scribere, vel per confessarium eadem peragere: onus est enim recurrendi, quo fieri potest modo: et tunc tantum obligatio cessat, quando neque per confessarium, qui scribat et mittat epistolam, Superior adiri potest.

d) Cum tamen recursus fieri possit ad S. Poenitentiariam vel Episcopum vel alium Superiorem facultate praeditum, merito quaeritur an in casibus papalibus teneatur ad Episcopum vel alium recurrere, qui non potest ad S. Poenitentiariam recurrere vel vicissim? *R.* 1) *Affirmative*, si non possit recurrere ad Episcopum vel alium etc.; possit tamen recurrere ad S. Poenitentiariam: nam agitur de casibus papalibus, quae iure pertinent ad S. Poenitentiariam. Quod vero quis possit Episcopum vel alium etc. adire, est benigna concessio ad facilius

reddendum onus recursus, quod non ideo cessat, quia facilius exsequi nequit. Ipsa particula disiunctiva *vel* satis indicat ad aliquem ex praedictis recursum fieri debere. Hic tamen casus potius metaphysicus est, quia communiter accessus ad Episcopum vel alium etc., facilior est et expeditior. *R.* 2) *Affirmative*, certo videtur, si non ad S. Poenitentiariam, sed ad Episcopum vel alium etc., recursus fieri possit. Nam mens Ecclesiae ea est ut poenitens, in necessitate absolutus a simplici confessario, subeat per recursum iudicium Superioris: ideo, praeter S. Poenitentiariam, alios designat, non sensu quidem exclusivo, sed, ut satis ex contextu apparet, inclusivo.

e) Onus recursus *sub poena* est *reincidentiae:* si scilicet, cum absolutus possit et debeat recurrere, non recurrat: nam poena est pro culpa; ideoque hic pro non recursu culpabili. — Sub poena quidem reincidentiae, de quacunque agatur censura reservata, nam canon hoc onus absoluto a censuris latae sententiae reservatis imponit, nulla facta restrictione vel exceptione. Patet tamen quod, si agatur de casu papali, etiam ratione sui, reservato, ad quem extenditur, iuxta iam dicta, simplicis confessarii facultas absolvendi in casu necessitatis, quaestio esse non potest de reincidentia in eandem reservationem; quia neque potest absolutus in idem peccatum reincidere, nisi velit, neque peccatum, sane grave, non recurrendi ex culpabili neglectu invenitur reservatum. Quapropter nulla in casu reincidentia nullaque amplius reservatio. Attamen non ideo, mense elapso, onus cessat recursus: hoc onus manet, donec eidem satisfactum fuerit: neque posset tali oneri subiectus absolvi, si nollet illud exsequi vel, sine rationabili causa, nimis diu vel indefinite differre vellet.

48. - Ad § 2. Nulla difficultas; nam, confessione repetita, saltem peccati cum censura reservati, (id vero sufficit ad valorem et, quando deest materia necessaria, etiam ad liceitatem) apud confessarium, specialem facultatem habentem absolvendi in foro sacramentali a reservatis, omnia ad illum statum redeunt, in quo nullum onus foret recurrendi. Idque etiam post recursum, cuius proinde nullus effectus, quum iam reus omnia praestiterit, quae iure requiruntur.

Itane etiam si confessio nulla fuerit vel sacrilega? Ita sane, quia peccatum Superioris iudicium per delegatum confessarium iam subivit et saltem censurae vinculum per absolutionem est ablatum.

49. - Ad § 3. Prospicitur casui, quo recursus fieri non possit propter moralem, quae adesse quandoque potest, impossibilitatem. Supra iam statuebatur recurrendum intra mensem, si id fieri possit sine gravi incommodo. Grave incommodum et moralis impossibilitas vix differunt: sed sub § 1 videtur potius indicari grave incommodum, quod superveniat et ab onere recurrendi merito iam in confessione imposito eximat: hic vero sub § 3 grave incommodum seu moralis impotentia onus imponendum praecedit et ab ipsa oneris impositione excusat. Tunc utique, iniunctis de iure iniungendis et congrua etc., potest confessarius absolvere sine onere recursus pro poenitente.

Semperne ac hoc incommodum est grave? Ex ipsa exceptione, quae adiicitur ex can. 2367, confessarii scilicet absolventis vel fingentis complicem absolvere, coniicitur hanc facultatem non esse nimis extendendam. Agitur nempe de recursus obligatione intra mensem adimplenda: ideoque attendendum est ad incommodi naturam vel impossibilitatis. Si talia concurrant ut onus recurrendi certo moraliter impossibile evadat in praesenti et in futuro, potest reus sine recurrendi onere absolvi. Si vero onus, quod moraliter impossibile est nunc, forte possibile fiet postea, saltem intra tempus statutum, onus est sub conditione imponendum: scilicet recurrendi, si impossibilitas cessaverit. Casus impossibilitatis specificus, de qua in canone, tunc certo erit, quum poenitens neque valeat ipsemet scribere, neque possit amplius confessarium adire ad responsum accipiendum vel mandata Superioris, si per confessarium recurrat: puta, si vel confessarius, ut fieri potest tempore missionum, vel poenitens discedere debeat, non amplius alter alterum visurus, vel nonnisi post diuturnum tempus. Hinc exceptio intelligitur, quae in canone fit, videlicet de absolutione censurae, de qua in can. 2367; nam aegre fingi potest casus, quo vel sacerdos reus scribere non possit, nisi chronica aliqua infirmitate uti calamo praepediatur. Sed et insuper alia est gravissima exceptionis

ratio. Agitur enim de sacrilego sacramenti abusu in perniciem animarum, de quo Ecclesiae auctoritas cognoscere debet, ut opportunis remediis eidem occurrat.

Attamen, etsi in impossibilitate cesset recurrendi onus, confessarius absolvere non potest, nisi iniunctis de iure iniungendis, iis scilicet, quae pro peccati natura, periculo in futurum, effectibus in ordine externo etc., poenitenti a confessario, qui recte suo munere fungatur, omnino iniungi debent, puta ut occasionem, quam citius fieri possit, removeat, bona vitae consuetudine scandalum reparet, damnum resarciat etc. Sed et insuper pro censura est congrua poenitentia et satisfactio imponenda, quae quidem relinquitur confessario in individuo determinanda.

50. - Estne idem poenitentia et satisfactio? Si ita, cur canon distincte poenitentiam et satisfactionem nominasset et inferius distinxisset inter poenitentiam agere et satisfactionem dare? Poenitentia opus dicit afflictivum seu poenale in peccati expiationem et per se nonnisi peccatorem poenitentem respicit, seu spirituale eius bonum. Satisfactio actionem potius dicit, qua effectus peccati reparantur in ordine ad alios. Quinam effectus: num scandali, damni etc.? Non videretur, quia horum reparatio de iis est, quae de iure sunt iniungenda, quaeque a poenitentia distinguuntur et satisfactione pro censura. Igitur satisfactio, praecise pro censura, dici non potest nisi per ordinem ad Ecclesiae, censuram comminantis, auctoritatem, quam quis peccando contempsit, et in opere consistit, quo absolutus suam submissionem protestetur et obedientiam erga Ecclesiam. Id porro praesertim exigitur, si de contracta censura notorie vel publice constet, ut et de hoc insuper constet reum a sua contumacia recessisse et ad obedientiam rediisse.

Cum vero agatur de absolutione in foro sacramentali, in quo congrua poenitentia de peccatis est de sacramenti integritate, non necessario infertur confessarium debere poenitentem duplici poenitentia onerare, alia nempe pro peccatis, alia pro censura: nam idem opus poenitentiale, gravius utique pro maiori peccati gravitate, quatenus poenitens peccando etiam Eccle-

siae auctoritatem contempsit, et contra ipsam contumaciam vere medicinale, et pro peccato et pro censura sufficere potest. Immo et satisfactorium simul potest esse, quatenus natura sua est etiam docilis erga Ecclesiam voluntatis protestativum, seu recessus a contumacia et reditus ad obedientiam. Videtur enim canon, distinguendo inter poenitentiam et satisfactionem, potius innuere duo momenta moralia seu duo officia, quibus satisfaciendis a poenitente, ut instet, confessarius instruitur, quam opus diversum, aliud scilicet poenitentiae et aliud satisfactionis. Immo nonne ipsa confessio et subsequens bonae vitae conversatio est sufficiens pro censura satisfactio? quid amplius exigitur ut vere dicatur poenitens ad sinum Ecclesiae maternum rediisse, quam peccando contempserat? — Neque obest quod in canone poenitentia et satisfactio iniungenda imponatur poenitenti confesso et absolvendo: nam etsi satisfactio, eaque congrua, sit praestanda ideoque merito exigatur, modus tamen satisfactionis non determinatur; cumque modus praedictus sit sufficiens, nil vetat quominus confessarius, sicut imponere potest pro poenitentia opus iam praeceptum, ita bonam vitae conversationem imponat, uti satisfactionem. — Ceterum neque confessio, cum bona etiam vitae consuetudine, semper sufficit, si videlicet censura est notoria vel publica, confessio vero occulta. Hinc nil mirum, si in canone, cuius est tradere doctrinam generalem, non vero considerare omnes hypotheses, satisfactio cum poenitentia iniungenda exigatur.

Sedulo tamen considerentur ultima verba canonis: non enim absolutus poenitentiam et satisfactionem impune negligeret. Contra ipsum etiam, sicut contra non recurrentem culpabiliter intra mensem, reincidentia in censuram diserte statuitur.

Punctum 3: *De absolutione a censuris in periculo mortis.*

51. - *In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can.* 884, 2252. Can. 882.

Verum: *Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can.* 2254, § 1, *si de censura a iure; eorumque mandatis parendi.* Can. 2252.

52. - Igitur: 1° In can. 882 nihil praeter ius iam vigens et in Tridentino promulgatum exhibetur: et ita clare ut nullus iam esse possit controversiae locus. Decernitur enim in periculo mortis quemcunque sacerdotem, etiam non confessarium, semper *valide* et *licite* absolvere, tum a peccatis tum a censuris quibuscunque, praesente etiam sacerdote approbato. — Sacerdotes, de quibus hic, illi sunt, qui defectu tantum approbationis secus prohiberentur; eisque positive pro periculo mortis approbatio confertur ut valeant et, subinde, ex caritate saltem, debeant absolvere: non alii, qui aliis etiam de causis prohibentur quominus licite, etsi aliunde valide, agant. Ita vel in illo casu, valide quidem, sed illicite, absolveret sacerdos haereticus, schismaticus, excommunicatus, complex, praesente alio, vel simplici sacerdote, qui posset, sine periculo scandali vel infamiae, recipere confessionem et non renueret suum exhibere ministerium.

Periculum mortis non est praecise idem atque articulus mortis, etsi in iure articulus et periculum pro eodem accipiuntur. Articulus mortem significat fere imminentem et iam physice certam: periculum vero mortem probabilem, si talis quidem est natura morbi aut operis, ut mors ex eo, non raro et quasi per accidens, sed per se et frequenter, sequatur. Proinde latius valde patet mortis periculum; quia inter mortem fere imminentem et certam et mortem probabilem, est mors certa, sed non imminens, ut, puta, in morbis, quorum exitus, experientia teste, est semper vel fere semper letalis, v. g. phthisis, canceris etc., post tempus tamen plus minusve diuturnum. Sufficit mortis periculum ut sacerdos, etsi non approbatus, valide et licite absolvat.

53. - Non dicitur: *iniunctis de iure iniungendis* etc., ut in can. 2254, § 3, quando scilicet absolutio a censuris, in casu impossibilitatis Superiorem adeundi extra mortis periculum, conceditur a simplici confessario. Fitne exceptio in periculo mortis? Non fit neque fieri potest exceptio quoad ea, quae iure naturali vel divino, debent, si possint, praestari: sed exceptio, si quae est, de iis tantum intelligitur, quae iure positivo ecclesiastico exiguntur. Et sane, cum canon in quibusdam tantum casibus, concessa absolvendi facultate, aliquid imponat, videtur in aliis, praesertim in tali periculi conditione, nihil imponere velle, praecise ratione censurae. Igitur neque specialis poenitentia neque specialis satisfactio requiritur; sed neque prudenter in eiusmodi rerum adiunctis imponeretur. Ceterum haec absolutio pro foro tantum valet interno sacramentali: ideoque, si agatur de censuris notoriis, in foro externo, ubi deinceps absolutus periculum evaserit, uti censuratus adhuc haberi potest, obligari ad absolutionem in eodem foro quaerendam et satisfactionem praestandam, quae ordinario exigitur.

Notetur tandem, quod ceteroquin ex canonis verbis est manifestum, absolvendi facultatem in periculo mortis esse amplissimam: nam nullus excipitur, sive sacerdos sive poenitens, sive peccati sive censurae casus. Et tantae ratio benignitatis est manifesta: eadem enim sapienti providentia, qua Ecclesia, pia mater, ad bonum animarum, restrictiones posuit quoad absolutionem; in periculo vitae, itidem ad animarum bonum, ne scilicet quis pereat, uti Tridentinum habet, eas aufert.

54. - Attamen: 2° Ubi agatur de censuris ab homine vel de censuris specialissimo modo Summo Pontifici reservatis, absolutus, si convaluerit, tenetur recurrere, uti supra, can. 2252; et confessarius, pro suo officio et prudentia, tenetur absolvendum monere de obligatione, ab eoque promissionem exigere recurrendi. — Etsi nihil hic expresse dicatur, recursus intelligitur intra mensem, uti alibi decernitur et communiter accipitur: nemo enim serio putabit poenitentis arbitrio relictum esse ut recurrat, idque sub poena reincidentiae, quandocunque voluerit. Sed mensis ibidem computari non potest ab absolu-

tione in periculo accepta, cum saepe absolutus neque uno mense convalescat. Quid igitur? Videtur omnino mensis a die computandus, qua absolutus, viribus restitutis, suam resumit vitam ordinariam.

Recursus fieri debet, pro *censuris ab homine*, ad eum, qui censuram tulit: et merito, tum ut eius auctoritas servetur, quae secus contemni videretur, tum ut ipsemet, qui causam egit, aptius, pro circumstantiis sibi cognitis, decernat quid ab absoluto praestandum, ut reparetur pro praeterito et praecaveatur pro futuro. — Pro *censuris* vero *a iure*, pro quibus recursus statuitur, scilicet specialissimo modo Summo Pontifici reservatis, iisque tantum, recursus fieri potest ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, sicut in absolutione extra mortis periculum in casu necessitatis. Cf. ibidem dicta.

Tandem recursus statuitur sub poena reincidentiae, nimirum in easdem censuras, a quibus in periculo quis est absolutus, si, cum possit, intra tempus sciens et volens non recurrat: in easdem censuras profecto, scilicet ab homine vel specialissime Summo Pontifici reservatas, quia pro iis tantum, iterum inquam, onus recursus imponitur, non pro aliis.

CAPUT II.

DE CENSURIS IN SPECIE

Cum censurae distinguantur in excommunicationem, interdictum, et suspensionem, de singulis agendum, ut uniuscuiusque natura et effectus probe cognoscantur.

Articulus I.

De excommunicatione.

55. - *Excommunicatio* est censura, qua quis *a communione excluditur Ecclesiae.* Ecclesiae autem communio in bonis intelligitur, quae sunt veluti Ecclesiae patrimonium, prout spiritualis societas est, et quorum administratio et distributio ad Ecclesiam pertinet: haecque nonnisi bona externa vel mixta esse possunt; non vero bona mere interna, puta, fides, caritas, character sacer etc., quibus proinde excommunicatio privare profecto non potest, quibusque excommunicatus adhuc pergit ad animam Ecclesiae pertinere et cum aliis fidelibus, tanquam membris unius corporis mystici, communicare. Cf. dicta *de censurae natura* sub num. **5**.

Verum, quoad bona communia, privationis effectus, saltem ex praescripto iuris, est fere totalis. Quare excommunicatio, prae suspensione et interdicto, quae partialiter tantum bonis ecclesiasticis privant vel eorum usu, est poena gravissima. Dicitur quoque *anathema*, praesertim si cum sollemnitatibus infligatur, quae in Pontificali Romano praescribuntur. Canon 2257, § 2.

56. - Ab hac excommunicatione, quae maior dicebatur, olim distinguebatur excommunicatio minor, quae per se passivo tantum Sacramentorum usu privabat seu eorum receptione, necnon electione passiva ad Ecclesiae beneficia et dignitates:

et ob unicam tandem hanc causam contrahebatur, propter scilicet communicationem cum excommunicato vitando in iis, in quibus cum eo, vel vivo vel defuncto, communicare non licet, sive in divinis sive in civilibus: et a quolibet confessario absolvi poterat. Verum ab edita const. *Apostolicae Sedis* excommunicatio minor amplius non exsistit: sed propter praedictam communicationem excommunicatio maior nunc, can. 2338, contrahitur, prout suo loco declarabitur. Nihil tamen prohibet etiam nunc quominus Episcopus in poenam alicuius criminis possit nominatim alicui interdicere usum passivum Sacramentorum vel saltem communionis. S. Alphonsus, num. 148.

57. - Excommunicatio, maior scilicet, quae sola nunc viget, alia est, qua quis excommunicatus est *toleratus*, alia, qua quis excommunicatus est *vitandus*. — Olim omnes maiori excommunicatione excommunicati erant vitandi; publice et ab omnibus, si excommunicatio publica et notoria erat; privatim et a scientibus, si occulta. Verum ad scandala praecavenda et peccata, quae frequentius occurrere poterant huius legis severitate, novo iure inductum est, ut fideles ab excommunicatorum communione non prohibeantur, nisi de excommunicato agatur nominatim et publice, uti tali, denuntiato, cum expressa in decreto vel sententia prohibitione cum illo communicandi. Hinc distinctio inter excommunicatos toleratos et vitandos. — *Cum expressa* etc., iuxta can. 2258, § 2; ideoque non amplius sufficit, sicut antea, ut nominatim, seu nomine expresso per verba vel signa indubitata, et publice seu in loco publico, iuxta usum regionis, quis fuerit excommunicatus. Unicus tamen iure casus excipitur, in quo neque talis denuntiatio, nominatim scilicet et publice, est necessaria ut quis sit vitandus: nempe si quis violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit. Can. 2343, § 1, 1°.

Communicatio tamen cum toleratis gratia est fidelibus concessa; non vero excommunicatis ipsis, nisi indirecte, quatenus videlicet, fidelibus communicantibus cum illis, non prohibentur, praecise vi excommunicationis, et ipsi communicare: sed per se et sponte nequeunt. — *Praecise vi* etc.; nam prohiberi alia possunt ex causa, ex. gr. ratione scandali, praesertim in

divinis communicando, vel indignitatis ad Sacramenta ministranda. Fideles igitur, etiam sine necessitate, communicare possunt cum toleratis, quum in humanis, tum in divinis, quamvis non teneantur. Hinc licite *per se* petuntur, etiam ex mera devotione, Sacramenta ab excommunicato tolerato; seu excommunicatione id non prohibetur: sed, si ille sit in peccato mortali, iusta causa requiritur, ne contra caritatem petens illius peccato cooperetur. Immo *per se* licite Sacramenta dari possunt excommunicato tolerato, etsi ipse excommunicatione prohibeatur petere: sed illicite, non quidem contra excommunicationis legem, quia permissum est fidelibus cum eo communicare etiam in divinis, sed contra ius divinum indigno ministrarentur, nisi excommunicatus inculpabili cum ignorantia et alias dispositus peteret; nam posset tunc minister eum relinquere in bona fide.

58. - Excommunicatio sequentes habet effectus:

1° *Privat iure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei.* Can. 2259, § 1.

Divina officia sunt sacrae illae functiones, quae ex Christi institutione vel Ecclesiae, publice et sollemniter, nonnisi a clericis cum propriis ornamentis peraguntur, ut Missae sacrificium, publica supplicatio, psalmodia choralis, aquae, olei, candelarum benedictio etc. Hisce excommunicatus quilibet, sive vitandus sive toleratus, neque active neque passive, potest assistere: et, si vitandus vel tantum passive assistat, est expellendus, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo: toleratus vero necesse non est ut expellatur, si passive tantum assistat, sed expelli debet, citra grave tamen incommodum, si assistat active, participando scilicet in ipsa divinorum celebratione, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam aut notorietatem excommunicationis, qua detinetur. Can. 2259, § 2. Hinc:

a) potest excommunicatus, etiam vitandus, ecclesiam ingredi tempore, quo sacrae functiones non celebrantur, et privatim seu ab aliis seorsim, si qui ibi sunt fideles, etiam simul orantes, orare. Immo

b) ex gravi causa, ex. gr. ad occursum inimici evitandum, aëris inclementiam effugiendam etc., etiam tempore quo divina officia celebrantur, si eius ibi praesentia sit mere materialis, officiis nimirum neque passive assistat; sed vel oret seorsim in sacello vel mere tempus opportunum exspectet exeundi. Item

c) non prohibetur, ex aliqua necessitate vel utilitate, in oratione communicare privata, v. gr. socium adhibere in recitatione rosarii vel breviarii: hoc enim non est officium divinum; et quamvis excommunicato omnis interdicatur communicatio, id, praeciso scandalo et contemptu, non est grave; immo neque leve, si aliqua iusta causa excuset.

59. - Porro, non modo excommunicatus nullum ex divinis officiis fructum percipit, sed tum ipse in eisdem communicans, tum alii cum eo communicantes peccant. Graviterne? ex canone, uti supra, patet distinguendum esse toleratum inter et vitandum, inter communicationem activam et passivam. Igitur: α) Quoad toleratum, etsi iure careat vel passive assistendi, tamen, cum hodie vix sit qui putet excommunicatum huiusmodi a divinis officiis esse arcendum et nullus sit excommunicatus, qui existimet a divinis officiis sibi esse abstinendum, neque expulsio, si assistat, iure exigatur, est benignius iudicandum: ideoque, non modo fideles ab omni peccato excusantur, quod certum est, cum ipsi non prohibeantur etiam in divinis communicare cum tolerato; sed etiam toleratus, si tantum passive assistat, videtur a peccato, saltem gravi, excusari. D'Annibale, vol. I, n. 362, not. 19. β) Vitandus autem, nisi excusetur ignorantia vel necessitate scandali vitandi, per se graviter peccat: graviter enim hoc ipsi prohibetur. *Per se:* quia ex levitate seu parvitate materiae haec communicatio venialis esse potest, ut v. gr. si exiguam Missae partem, puta, usque ad Evangelium, excommunicatus audiat cum fidelibus. Idem ex eadem ratione dicatur de fidelibus cum ipso communicantibus. Verum facilius fideles, etiam praeter necessitatis casum et materiae parvitatis, a peccato gravi excusantur, si vitandus mere passive assistat, quia eorum communicatio est tantum indirecta. Et ita non improbabile censet S. Alphonsus, lib. VII, num. 176, fideles Missam audientes, cui vitandus

assistat, leviter peccare, etsi ipsemet probabilius contrarium teneat, quia in Missa omnes conveniunt in una oblatione. Sed haec ratio, quae exceptionalis est pro Missa, quoad alia officia potius videtur regulam confirmare, grave nimirum peccatum non committi. γ) Aliud tamen dicendum, si excommunicatus, sive vitandus sive etiam toleratus, active assistat, praesertim si conatus expulsionis nihil efficiat excommunicatusque ibidem maneat: immo si vitandus post expulsionis conatum vel passive tantum assistat, quaecunque communicatio in casu vix a gravi peccato excusari posset, nam gravissime prohibetur. Neque obiiciatur fideles posse, saltem cum tolerato, etiam in divinis communicare, vel Sacramenta petendo, saltem quantum ex vi excommunicationis est; nam non prohibentur quidem in privatis, sed districte prohibentur in publicis.

Porro excommunicatus, quando arceri debet, expellendus est ope laicorum, iisque deficientibus, clericorum. Si expelli non potest, ab officio cessandum, nisi gravius incommodum timeatur. Si Missae sacrificium celebretur, Missa, nondum canone inchoato, est abrumpenda: inchoato canone, sed nondum peracta consecratione, potest Missa, ceteris abeuntibus, continuari vel abrumpi, ob sententiae utriusque probabilitatem: post vero consecrationem debet, solo ministro manente, usque ad communionem inclusive continuari et alia in sacristia vel alio loco decenti sunt perficienda.

60. - Ergo excommunicatus, quandiu talis manet, ab obligatione excusatur Missam audiendi diebus dominicis et festivis de praecepto. Quomodo enim obligabitur, si ei assistere non licet? Sed teneturne absolutionem quaerere ab excommunicatione, ut praecepto Ecclesiae de Missa audienda satisfacere possit? — Communiter negatur, quia, quandiu quis excommunicatione ligatur, tenetur non audire: impedimenti vero remotio per excommunicationis absolutionem non videtur posse ex praecepto audiendi Missam urgeri, quia est dispositio tantum remote se habens ad Missam audiendam. — Verum, si ita est, cur DD. communiter affirmant de paschali confessione et communione? nam non videtur argui posse ex praeceptorum diversitate; utrumque enim praeceptum, scilicet Missam au-

diendi et praeceptum confessionis et communionis annuae, aeque praeceptum est formaliter ecclesiasticum, determinativum iuris divini: et dispositio in utroque casu per absolutionem ab excommunicatione aeque remota videtur. Ratio discriminis in hoc potius videtur esse, quod Ecclesia eos reprobat, qui per annum in excommunicatione insordescunt, can. 2340, § 1; ideoque, non praecise quia communicare quis debet, impedimentum tollere tenetur excommunicationis, sed e contra; quia tollere impedimentum tenetur, ideo tenetur communicare, nam a legis obligatione quis non excusatur propter impedimenta, quae auferre tenetur. Cum vero Ecclesia nihil contra eos statuat, qui minus anno in excommunicatione perseverant, patet non posse contra eos urgeri, saltem intra annum, obligationem audiendi Missam. Ballerini-Palmieri, *De Censuris*, num. 401.

61. - 2° *Privat usu passivo* seu *receptione Sacramentorum: immo post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam, etiam Sacramentalium.* Can. 2260, § 1.

Hinc nullus excommunicatus, sive vitandus sive toleratus, licite ea recipere potest et graviter, recipiendo, peccaret, nisi gravissima excusaretur causa, ex gr. periculo mortis, mutilationis, infamiae, iacturae bonorum etc.; vel ignorantia invincibili. Merito enim contumax Ecclesiae praeceptis ab eius bonis repellitur participandis: sed neque invincibili ignorantia quis peccat, neque Ecclesiae prohibitio cum tanto rigore est accipienda, ut ne casus quidem tam gravis incommodi excipiatur: idque contra legum ecclesiasticarum naturam. — Et si peccat excommunicatus recipiendo, antequam ab excommunicatione absolvatur, peccat etiam minister ei ministrando; non quia legem Ecclesiae violat de excommunicatione, nisi vitando ministret; sed quia eius peccato cooperator exsistit: ideoque, si excommunicatus non peccaret, quia, puta, bona fide peteret, in qua minister eum relinquendum merito existimaret, neque ministrans peccaret. — Attamen, etsi per se illicite et quidem graviter, valide tamen excommunicatus Sacramenta reciperet, si alioquin conditiones validitatis ex iure divino praesto sint. Excipitur Poenitentiae Sacramentum, si quis mala fide et indispositus accedat, quia tunc absolutio certo est irrita et Sa-

cramentum nullum. Si vero bona fide et dispositus, non modo valide, etiam Sacramentum Poenitentiae, sed et cum fructu, tum Sacramentum Poenitentiae, tum alia Sacramenta excommunicatus reciperet.

Verum non ita de Sacramentalibus, sive mala sive bona fide excommunicatus iis utatur. Etenim Sacramentalia, quoad originem et efficaciam ab Ecclesia dependent, cuius intercessione et meritis dignificantur. Ecclesia vero bona sua subtrahit excommunicato. Hinc Sacramentalia, uti Sacramentalia, ei valere non possunt, sed tantum ut fidei adminicula et devotionis privatae.

62. - 3° *Privat iure conficiendi et ministrandi Sacramenta et Sacramentalia.* Can. 2261, § 1.

Id generatim: sed § 2 et § 3 huius eiusdem canonis exceptiones exhibentur: scilicet distinguendum est inter toleratum et vitandum. — Toleratus potest a fidelibus requisitus Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare; fideles vero ex qualibet iusta causa, quam excommunicatus non tenetur percontari, possunt, maxime si alii ministri desint, ab eo petere, § 2: ideoque non tantum ex necessitate, sed etiam ex devotione, ne scilicet spirituali priventur bono, quod consequi exoptant: idque, saltem quantum est vi censurae; nam caritate, ratione malae conscientiae et sacrilegii ex parte ministri, possunt utique fideles prohiberi, quominus petant, si abstinere queant sine gravi relative incommodo. — Porro, si excommunicatus toleratus non requisitus, ideoque sponte, sese ingerat in Sacramentorum ministerium, graviter quidem per se peccat, (*per se*, nisi nempe causa valde gravi excusetur, ex. gr. infamiae vel damni vitandi), sed valide agit; non modo in iis, quae ad potestatem pertinent ordinis, uti patet; sed in iis etiam, quae sunt iurisdictionis, puta, absolvendo, quia Ecclesia ad bonum animarum tolerato non aufert iurisdictionem.

Vitandus vero vel quilibet excommunicatus post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam, districte prohibetur quominus Sacramenta aut Sacramentalia, vel ad fidelium petitionem, conficiat vel ministret: immo, non modo illicite, sed et invalide absolveret, quia privatur iurisdictione; ideoque

et fideles petere prohibentur. — Excipitur mortis periculum, in quo tum fideles petere, tum excommunicatus etiam vitandus absolutionem sacramentalem conferre valent: immo, si alii ministri desint, alia etiam Sacramenta et Sacramentalia. § 3. Alia Sacramenta, videlicet, Eucharistiam et Extremam Unctionem, non modo si aegrotus non potuit, sensibus destitutus, confiteri, quia tunc Eucharistia et praesertim Extrema Unctio Sacramenta fiunt necessitatis, quatenus aegrotus ex attrito fieri potest contritus; sed etiam si confessus est et absolutionem recepit, quia maxime necessarium est ut adiuvetur aegrotus viresque inde recipiat ad suggestiones daemonis in eo discrimine superandas. Sacramentalia etiam, quia hisce aegrotus valde confortatur et Ecclesia pia et provida mater nullo salutis subsidio filios suos periclitantes vult carere.

63. - Excommunicatus, sive vitandus sive toleratus, illicite ministrans irregularitatem incurrit, can. 985, 7°. — Sed quid, si invalide, ut invalide Poenitentiae Sacramentum, ministrat vitandus extra casum necessitatis: incurritne irregularitatem? — Communissime id affirmari ait S. Alphonsus, n. 171: et affirmandum omnino videtur, quia lex nonnisi actum considerat, praescindendo ab eius effectibus: scilicet propter actum ordinis illicite ab eo exercitum, qui censura vel alia poena canonica prohibetur, irregularitatem statuit. Sufficit igitur, ut actus ex natura sua vel, melius, positiva Dei institutione, actus sit ordinis sacri; ideoque actus sacri ministri, qua minister est, seu non iocantis vel simulantis etc.; sed sacrum peragentis, quidquid sit de actus effectibus vel valore. Num irregularitatem effugit excommunicatus, qui indispositum absolvit, in illis nempe casibus, in quibus ratione excommunicationis iam illicite absolveret?

64. - 4° *Privat participatione indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum.* Can. 2262, § 1.

Bona spiritualia alia sunt communia, alia privata. *Communia* dicuntur quae praestantur nomine Ecclesiae quaeque a publicis ministrorum officiis et sacrificiis provenire solent. *Privata* vero dicuntur quae nomine praestantur singulorum

fidelium: quo sensu ipsi quoque Ecclesiae ministri comprehenduntur, qua personae sunt etiam privatae. Porro ad bona communia pertinent indulgentiae, seu fructus satisfactionum, quae ex communi Ecclesiae thesauro per indulgentias applicantur Praelatorum auctoritate: itemque publica Ecclesiae suffragia, precesque publicae et in primis Missae sacrificium, saltem secundum quod est opus Ecclesiae et eius nomine offertur. Ad bona vero privata pertinent orationes, eleemosynae et cuiuscunque boni operis exercitium; immo oblatio quoque Sacrificii, quoties privato cuiusque nomine et privata intentione fiat.

Iamvero communis et certa sententia est a fructu indulgentiarum et publicis, seu Ecclesiae, suffragiis et precibus excludi vitandum: sed, exceptis indulgentiis, quae profecto excommunicato non prosunt, quaestio erat de tolerato (saltem si ad aliquam sectam religiosam publice non pertineat), aliis negantibus excludi, quia permittitur fidelibus cum tolerato, etiam in divinis communicare: aliis affirmantibus, quia nulla est utilitas (cuius tamen intuitu permittuntur fideles cum toleratis communicare) fidelium in hoc quod suffragia et preces publicae et Sacrificium pro toleratis offerantur: nullumque insuper scandalum vitandum, quod, immo, potius provocaretur, si quid huiusmodi, praecise nomine Ecclesiae, fieret pro excommunicato, cum sit vel decesserit extra Ecclesiae communionem. Verum Codice I. C. sententia affirmans, scilicet toleratum aeque ac vitandum excludi, certa omnino videtur. Nam, nulla facta distinctione, quam alias Codex facit, ut constat ex antecedentibus, inter vitandum et toleratum, excommunicatum simpliciter excludit ab indulgentiis, suffragiis et publicis Ecclesiae precibus; etsi fideles non prohibeat quominus pro eo privatim orent § 2, 1°, vel sacerdotes quominus, privatim et remoto scandalo, pro eo Missam applicent, licet, si vitandus sit, pro eius conversione tantum, § 2, 2°. — *Privatim* orent: privatane oratione vel intentione? nonne possunt fideles vel preces publicas, non qua tales, sed qua preces etiam sunt illius, qui in eisdem communicat et eius merito dignificantur personali, offerre pro excommunicato? — Ita sane ex communi doctrina, quae, nedum reprobetur, potius ex iis confirmatur, quae Codex

habet de Missa § 2, 2°, uti supra. Nam permittitur sacerdotibus pro excommunicato, privatim et sine scandalo, etiam Missam applicare. Quid est privatim? nam Missa profecto, si quod aliud, est Ecclesiae proprium praecipuumque bonum et natura sua publicum. *Privatim*, nomine videlicet proprio et quatenus ex merito dependet offerentis. Id certum est, omnibus fatentibus, et saltem hoc minimum novo iure conceditur. Sed huius verba canonis quid ulterius portendunt: siquidem Missam applicare intelligendum videtur de fructus specialis applicatione seu fructus medii, quae nonnisi nomine Christi et Ecclesiae fieri potest, nunquam nomine proprio. Ergo concedit ut Missa, etiam quatenus est opus Ecclesiae et eius nomine, saltem pro toleratis, celebretur. Id tantum exigitur ut non fiat publice, ad scandalum praecavendum: et, si agatur de vitandis, tantum pro eorum conversione.

65. - 5° *Privat exercitio actuum legitimorum: iure agendi in causis ecclesiasticis: functione officiorum* seu *munerum ecclesiasticorum* et *privilegiorum iam concessorum usu.* Can. 2263.

a) Quinam sint *actus legitimi* ex canone patet 2256, 2°, cuius haec sunt verba: *Nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis baptismatis et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere.* — Ab hisce vero actibus ita removetur excommunicatus vitandus, vel alius, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, ut non modo illicite, sed etiam invalide agat.

b) Idem dicatur *de iure*, quo excommunicatus privatur, *agendi partes actoris in causis ecclesiasticis:* si vitandus, vel alius post sententiam etc., staret uti actor in iudicio, utpote iuridica quoad hoc privatus personalitate, irrite ageret et sententia foret insanabiliter nulla. Can. 1892, 2°. Huic tantum permittitur ut per se ipse agat ad iustitiam vel legitimitatem ipsius excommunicationis impugnandam; per procuratorem,

ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum. Canon 1654, § 1. Alii tamen excommunicati generatim stare in iudicio queunt. § 2.

c) Nomine *ecclesiastici officii* stricte intelligitur: *munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis, sive ordinis sive iurisdictionis.* Can. 145, § 1. — Prohibitio facta excommunicato, ecclesiastica officia seu munera exercendi, nexa intime est cum prohibitione, qua excommunicatus prohibetur ordinis exercere potestatem per sacramentorum confectionem et administrationem, can. 2261, et potestatem iurisdictionis, can. 2264. Cf. sequens num. 6°. Consequenter exercitium officii vel muneris, qua supponit iurisdictionis potestatem, iterum invalidum esset, si de vitando vel de alio post sententiam ageretur. — Licet vero, nullo discrimine inter vitandum et toleratum, fungi ecclesiastico officio vel munere excommunicatus prohibetur: tamen, si excommunicatio sit occulta, tum officia divina (tum actus legitimos) posset excommunicatus exercere, saltem ad suam infamiam et aliorum scandalum vitandum: immo, praeciso scandalo, etiam notorius vel publicus excommunicatus, ad damnum gravissimum avertendum. Neque quis dicat licere excommunicato tolerato, saltem ad petitionem fidelium, semper officium exercere, quia fideles permittuntur cum eo communicare: nam hoc est beneficium fidelibus concessum, quod extendi non potest ultra casus iure expressos; iure vero fideles petunt ex quavis rationabili causa ab excommunicato tolerato Sacramenta et Sacramentalia, non alia.

d) Idem est *de privilegiis iam antea obtentis.* De quibus insuper quaeri potest: an excommunicatus, v. gr. toleratus, hisce uti possit in fidelium utilitatem, quando ab eisdem eius ministerium iure exigitur; puta, privilegio absolvendi a reservatis? — Videretur negandum, quia Ecclesia excommunicatum simpliciter usu privilegiorum privat: concedendo vero ut fideles ex qualibet iusta causa ab eo Sacramenta petant vel Sacramentalia, non ideo privilegiorum concedit usum, sed ordinarium tantum permittit ministerium. Tamen, cum id sit favor fidelibus concessus et favores sint ampliandi: cum insuper in

casu non ipse excommunicatus, privilegio fruatur, ut habet canonis textus, sed fideles potius fruantur, doctrina affirmativa non videtur carere sua probabilitate.

66. - 6° *Privat usu iurisdictionis, tam fori externi quam fori interni.* Can. 2264. — Ratio, quia iurisdictionis exercitium est praecipua cum fidelibus communicatio. Et ita quidem iurisdictionis usu privat excommunicatio, ut actus iurisdictionis, si ponatur a vitando vel alio post sententiam etc., sit non modo illicitus, sed etiam invalidus. Hinc talis excommunicatus invalide leges ferret vel sententiam, eligeret, praesentaret vel conferret beneficium, absolveret etc. Restituitur tamen ei iurisdictio in foro poenitentiae in extrema necessitate, ut iam dictum est, can. 2261, § 3. Non ipsa vero iurisdictione, sed licito tantum eius exercitio seu usu privat; ideoque iurisdictionis actus, etsi per se illiciti, non sunt tamen invalidi; si nulla, licet de excommunicato notorio agatur, sententia intercesserit. Immo non solum valide, sed etiam licite, talis ageret rogatus, ad normam eiusdem canonis 2261, § 2, vel ex gravi causa. Secus, nisi levitas excusaret materiae, graviter peccaret.

67. - 7° *Privat: a) Iure eligendi, praesentandi, nominandi:* nempe, ipso iure ideoque actus valore, vitandum vel alium post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam: licito iuris usu quemcunque excommunicatum. *b) Idoneitate ad dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia consequendum.* Eadem fiat distinctio, quae antea, inter vitandum vel etc., et alium. Immo vitandus vel alius post sententiam etc., neque ullam quidem gratiam pontificiam valide consequi potest, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat. *c) Idoneitate ad ordines recipiendos:* iterum de quocunque agatur excommunicato. Licite nimirum recipiendos, quia profecto ordinationis validitati excommunicatio non obstat. — Incurritne ita promotus irregularitatem vel saltem suspensionem ab ordinibus receptis? *Negative* ad utrumque: sed can. 2374 gravibus poenis, secundum rerum adiuncta, est puniendus. Can. 2265, § 1, 1°, 2°, 3°, § 2.

68. - 8° *Privat, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod excommunicatus habeat in Ecclesia: et vitandum ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere.* Can. 2266. — Agitur, uti patet, de dignitate, officio, beneficio etc., quae ante sententiam excommunicationis ille iam possidebat: nam, si post sententiam quid huiusmodi in Ecclesia consecutus est, invalide, ex dictis in canone praecedenti, illud obtinuit: ideoque, non quidem privaretur, quasi in poenam, fructibus; sed nullo iure eis potiri posset. *Post sententiam* etc. Ergo ante sententiam excommunicatus, dummodo per se vel per alium officii, beneficii, etc. oneribus satisfaciat, fructibus non privatur. Post sententiam vero eisdem privatus manet ipso iure; ideoque, praeter excommunicationis sententiam, alia non requiritur iudicis sententia, qua privetur fructibus; sed ex tunc, neque fructus potest percipere, neque male perceptos potest retinere. Idque a fortiori valet de vitando, qui non tantum fructibus; sed ipsa dignitate, officio, beneficio etc. privatur.

69. - 9° *Privat ecclesiastica sepultura, post tamen sententiam condemnatoriam vel declaratoriam: eoque magis vitandum, nisi excommunicatus ante mortem signa dederit poenitentiae.* Can. 2260, § 2.

Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis. Can. 1204. — Igitur excommunicatus vitandus vel alius post sententiam, neque ecclesiastico ritu, neque in fidelium coemeterio potest sepeliri: et, si ibi sepultus fuerit, cadaver, saltem excommunicati vitandi, si fieri sine gravi incommodo queat, est, servatis servandis, exhumandum et in loco profano deponendum. Can. 1242. — Locus vero sacer eius contactu censetur pollutus et est expiandus. *Nisi ante mortem signa dederit* etc.; tunc enim potest ecclesiastica sepultura donari, dummodo prius absolvatur, quia saltem non decet ut ad Ecclesiae fideles apponatur, qui per excommunicationis sententiam ab eis erat separatus, quandiu sententia manet: sententia vero nonnisi per absolutionem removetur. Cann. 1172, § 1, 4°; 1207; 1240, § 1, 2°.

70. - 10° *Privat, sed nonnisi vitandum, communione in forensibus, seu societate civili: ita scilicet ut neque ipse cum aliis, neque alii cum ipso communicare possint, nisi de coniuge agatur, parentibus, liberis, famulis, subditis et, generatim, nisi legitima causa excuset.* Can. 2267.

Si tantum vitandum: ergo alii, etiam post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, communicare non prohibentur. — Porro communicatio civilis quinque involvit: *os, orare, vale, communio, mensa.* Igitur:

Os. Oris nomine comprehenduntur colloquia, litterae et, generatim, benevolentiae signa, uti dona mittere et acceptare etc. — An autem signa urbanitatis excommunicato exhibere liceat, prima sententia negat et ea probabilis est; secunda sententia, etiam probabilis, affirmat, modo ea signa, ut est assurgere, caput aperire, cedere locum, fiant ut inurbanitatis nota vitetur vel excommunicati indignatio, neque exhibeantur tanquam signa amicitiae aut communicationis.

Orare. Est quaelibet in divinis communicatio, v. gr. eidem assistere Missae vel publicis Ecclesiae officiis. Cf. supra n. **58.**

Vale. Comprehendit salutationes omnes verbo aut alio signo exhibitas, nisi id fiat ad damnum vitandum vel ipsius excommunicati indignationem. Hinc probabiliter licet excommunicatum resalutare: resalutatio enim non honoris exhibitio, sed potius debiti solutio et mere urbanitatis actus est. — Probabilius vero non licere videtur excommunicato rescribere, iuxta S. Alphonsum, qui non valet sententiae oppositae acquiescere, « quia rescriptio videtur vera communicatio ».

Communio. Comprehendit omnes contractus, qui tamen validi sunt, si fiant, nec non cohabitationem et quamcunque cooperationem.

Mensa. Comprehendit convivia, per modum tamen societatis et commercii: quod certo non habetur, si casu incidas in idem iter, hospitium, mensam, immo et lectum. Bucceroni, *Institut. Theol. Mor.*, vol. II, n. 1122.

Attamen si Ecclesia rigidius prohibet communicationem in divinis, valde benignius agit quoad vitae civilis consuetudinem. Sane, praeter personas, quae supra recensentur, quibus et cum quibus communicatio permittitur, alii sunt casus per-

sonarum et rerum, in quibus communicationis prohibitio non urget. « Generatim quaelibet rationabilis causa excusat ». *Personarum:* et ita, si non ratione cognationis vel famulatus, saltem ratione unius domesticae societatis, quilibet alius in eadem familia vivens excusaretur; nam et haec est causa rationabilis. *Rerum:* ita, si pro adiunctis communicatio vitari non possit, sine damno vel animae vel corporis vel bonorum temporalium, sive ipsius excommunicantis, sive excommunicati, sive aliorum; vel etiam simpliciter cedat, sive quoad animam, sive quoad corpus, sive quoad bona temporalia, in eorum utilitatem.

71. - *Nota.* — Praeter istos, qui sunt immediati excommunicationis effectus, alii duo recenseri debent effectus mediati, quos scilicet excommunicatio producere potest, dependenter tamen a facto ipsius excommunicati. *Primus* et communis aliis etiam censuris est, quod excommunicatus irregularitatem incurrit, si actum ordinis exerceat, a quo censura prohibetur; ideoque etiam toleratus, si quando illicite, puta, non rogatus, actum ordinis proprium exerceat. Can. 985, 7°. *Secundus*, quod, si obdurato animo per annum insorduerit in excommunicatione, est de haeresi suspectus. Can. 2340, § 1.

Quoad primum patet: 1) nonnisi clericum ex violatione censurae per ordinis exercitium fieri irregularem: nam et non clericus quidem, si ordinis actum exerceat, fit irregularis, sed non uti effectus violationis censurae, de quo tantum hic agitur. 2) Nonnisi ordinis sacri exercitio; nam in canone agitur de ordinis actu clericis in sacris constitutis reservato. Hinc nulla irregularitas ex minorum ordinum exercitio, qui, ex inducta consuetudine, a laicis etiam exerceri possunt. At si Sacramenta ministrentur aut aliud ministerium peragatur, quod requirit aut eo modo quo requirit sacri ordinis potestatem, profecto irregularitas contrahitur: ita, si sacerdos absolvat, Episcopus confirmet vel ordinet, vel diaconus sollemniter baptizet, immo vel sollemniter Missae assistat. — Neque refert utrum actus valide vel invalide ponatur, v. gr. si vitandus a peccatis absolvat: nam, etsi actus irritus sit, verum tamen adhuc est exerceri ordinis actum. Cf. dicta sub num. **63.** —3) Excommunicationem (vel aliam censuram personalem vel localem, qua quis ab actu

ordinis prohibetur) praesupponi eiusdem ordinis exercitio: nam ex violatione censurae iam exsistentis irregularitas contrahitur. Ideo, si ipso ordinis exercitio excommunicatio (vel alia censura) contrahatur, v. gr. communicando cum vitando, nulla irregularitas. 4) Nullum requiri ausum temerarium, sed sufficere ut quis actum ordinis vetitum ponat, sciens id sibi non licere, cognitione scilicet sufficiente ad mortale peccatum, etsi irregularitatem ignoret inde exsurgentem: quia delictum iam habetur, quod plane sufficit iuxta canones: irregularitas potius uti inhabilitas quam ut poena consequitur. Can. 988.

Quoad secundum notandum: 1) ideo suspectum fieri de haeresi, qui toto anno in excommunicatione contumaciter persistit seu insordescit, quia hic male sentire praesumitur de Ecclesiae potestate, dum nil curat, tum de censuris ab ipsa latis, tum de Sacramentis, quae, contra Ecclesiae praeceptum de annua eorum susceptione, ab eo omittuntur. 2) Haeresis suspicionem, de qua hic, ad alias censuras extendi non posse, tum quia canones nonnisi excommunicationi hunc effectum tribuunt, tum quia ex natura rei ita est excommunicationi proprius, ut non sit eadem vel similis ratio de aliis. 3) Non utcunque excommunicatum, sed vitandum, vel sententia condemnatoria vel declaratoria denuntiatum, incidere intra annum in haeresis suspicionem. Nam huiusmodi praesumptio fori externi est et iuridica praesumptio, quae non sustinetur nisi in foro externo, nisi scilicet iuridice constet eum esse excommunicatum. At quomodo de hoc constabit sine sententia?

Articulus II.

De Interdicto.

72. - *Interdictum* est censura, qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, quorundam sacrorum, id est, divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturae ecclesiasticae usu prohibentur, qua usus est.

Qua usus est. In hoc enim discrimen est inter interdictum et excommunicationem vel suspensionem, quae etiam sacris vel ex toto vel ex parte privant, quod excommunicatio eis

privat, quatenus eorum usus communicatio est cum fidelibus: suspensio, quatenus exercitium est sacrae potestatis: at interdictum eis privat, praecise quia eorum usum prohibet seu interdicit. — Haec vero prohibitio vel directe fit per interdictum personale, quum personis ipsis eorum bonorum usus interdicitur: vel indirecte per interdictum locale, quum certis in locis eorundem dispensatio vel perceptio vetatur. Can. 2268, § 2. — Hinc interdictum neque ab Ecclesiae segregat communione, neque aufert iurisdictionem. — Insuper ut obliget locale interdictum, hoc debet esse denuntiatum: nam fidelibus est notificandum, ut caveant, quibusnam in locis fieri prohibentur sacra: idque vel a ferente interdictum, vel saltem de eius auctoritate. — Ut vero quoad alios obliget interdictum personale, seu teneantur alii personaliter interdictum vitare in activo sacrorum usu, requiritur ut sententia condemnatoria vel declaratoria praecesserit, vel saltem ut sit notorium eum esse personaliter interdictum. Can. 2275, 1°.

73. - Interdictum esse potest: 1) *Locale* vel *personale*, vel *mixtum*, prout immediate vel tantum locum, vel tantum personas, vel tum locum tum personas afficit. 2) *Generale* (locale vel personale), vel *particulare*, prout totam quandam regionem, ex. gr. regnum, provinciam, dioecesim, paroeciam afficit eiusve populum; vel determinatum tantum locum, ex. gr. quandam ecclesiam vel oratorium, vel personam, sive physicam sive moralem, uti Capitulum, Monasterium etc. 3) *Totale* vel *partiale*, prout omnes comprehendit effectus interdicti vel aliquos tantum, privans scilicet, non omnibus, quibus interdictum privare solet, sed uno vel alio spirituali bono, v. gr. Missae celebratione vel SS. Eucharistiae receptione, vel assistentia in choro etc.

Porro patet: *a*) Interdictum locale mediate et personas afficere, et personale mediate locum: nam et personae interdicuntur, seu, melius, prohibentur sacris uti in loco interdicto, et persona interdicta a sacrorum usu prohibetur ubique locorum. *b*) Interdictum tantum personale particulare, et quidem in personam physicam, veram esse censuram: nam ferri potest ad contumaciam frangendam actualem delinquentis, qui foro poenitentiali subiicitur, tum quoad absolutionis conditionem,

seu recessum a contumacia, tum quoad ipsam absolutionem, quae in hoc eodem foro dari potest. Interdictum vero locale et personale generale, cum omnes teneant, etiam innocentes, qui nullam causam interdicto dederunt, neque locus aut communitas foro poenitentiali subiici possit, unde nonnisi ab habente in foro externo iurisdictionem huiusmodi interdictum tolli potest, rationem censurae proprie non habent, sed tantum poenae, saltem quoad illos, qui non sunt criminis, propter quod interdictum latum est, praecipui auctores vel privationis quoad alios, insontes nimirum. Saltem, inquam, quia profecto interdictum locale, aut generale personale vel in collegium, ita ferri potest, ut isti, praecipui videlicet auctores, interdicto speciali personali subiiciantur. Immo ita est. Can. 2338, § 4.

74. - De *extensione* vero interdicti localis et personalis haec sunt notanda:

1° In interdicto *generali personali*, omnes comprehenduntur, qui ad communitatem pertinent interdicto subiectam, etiam exempti, secluso speciali privilegio: etiam absentes: immo et exteri, qui per domicilium eidem aggregantur: non vero exteri, qui, etsi ibidem morentur, v. gr. scholares, illius partes non sunt: neque incolae, qui, alio transferentes domicilium, esse pars desinunt: neque Episcopi, nisi de ipsis expressa fiat mentio: neque infantes doli nondum capaces et amentes, excepta prohibitione ecclesiasticae sepulturae, quia aliorum interdicti effectuum isti non sunt capaces. — Item, interdicto populo, non censetur interdictus clerus, quia nomine populi veniunt tantum saeculares seu laici; et, vicissim, interdicto clero, non censetur populus interdictus. — Interdicto autem clero, probabile est non comprehendi religiosos, quia versamur in odiosis et religiosi reapse a simplici clero distant; nisi, ut habet Schmalzgr., n. 339, religiosi saeculare beneficium habeant, vel interdictum generalius feratur in personas ecclesiasticas. — Interdictum vero *personale particulare*, cum personae adhaereat, eam comitatur ubique, ideoque nullibi potest hisce uti, quibus interdicto privatur. Can. 2269, § 2.

2° In interdicto *locali*, generali vel particulari, omnes pariter comprehenduntur: eo scilicet sensu, quod omnes, tum

incolae, tum exteri, tum exempti, excepto speciali exemptionis privilegio, prohibentur in loco interdicto, salvis exceptionibus iuris (cf. infra) divina peragere et participare. Immo ille etiam, qui interdictum tulit, tenetur illud servare. — Sed, cum non urgeat extra locum illum, vel illius incolae alibi divina peragere vel participare possunt, nisi de illis agatur, qui sunt personaliter interdicti. Can. 2269, § 2.

3° In interdicto *locali generali* omnia comprehenduntur, quae ambitu loci continentur, etiam exempta. Hinc, interdicta civitate, interdicta manent etiam monasteria et ipsa ecclesia cathedralis; immo et accessoria, vel suburbia et continentia, ut dicitur, can. 2273, seu propinqua aedificia, quae ultra mille non distent passus, vel, si infra, difficilem accessum non habeant. D'Annibale, *Summ. Theol. Mor.*, vol. I, num. 373, not. 28. At, interdictis omnibus civitatis ecclesiis, cathedralis non comprehenditur propter honorem, nisi expresse cum aliis ecclesiis nominetur, quia hoc interdictum reapse speciale est. — Interdicta civitate vel territorio, nullibi fas est operam dare divinis: at, interdictis ecclesiis vel locis sacris, licet in privatis vel domesticis oratoriis, vel sub diu sacrum facere vel in ecclesiis postea exstructis.

4° In interdicto *locali particulari* comprehenduntur omnia loci accessoria. Hinc, interdicta ecclesia, sunt et sacella interdicta, etiam contigua, non vero coemeterium: sed interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia, nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, etsi interdicta sunt omnia sacella in coemeterio erecta. Can. 2273.

75. - *Bona*, quorum usu interdictum privat, sunt, ut iam diximus, divina officia, Sacramenta, ecclesiastica sepultura. De singulis breviter.

I. *Divina officia* sunt eadem illa, quibus privat excommunicatio. Cf. ibidem num. **58.** Haec vero prohibentur quidem personaliter interdictis: ii enim nullibi ea celebrare, vel his, excepta verbi Dei praedicatione, assistere possunt. Can. 2275, 1°. — Attamen, cum interdictum a fidelium communione non separet, si interdictus Missam celebret, ei assistere possumus: et, si interdictus divinis officiis aderit iussusque nolit abire,

non ideo cessandum erit, nisi forte per sententiam interdictus vel notorius active in divinis participaret, quia talis tantum et tunc omnino debet expelli. Can. 2275, 1°. — Neque item eiusdem sepultura ecclesia vel coemeterium polluitur. Quin licet pro eo vivo vel vita functo offerre sacrificia et publicas preces fundere. Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, vol. II, n. 1135. — Immo, si interdictum latum sit in communitatem seu collegium uti tale, non omnia divina officia collegii membris prohibentur, sed ea tantum, quae a communitate peraguntur, qua communitas est: quod ceteroquin etiam de suspensione valet, in communitatem lata, quae nonnisi bonis privat communibus seu communitatis qua talis: nisi interdictum feratur simul et in singula collegii membra, quae deliquerint, vel agatur de illis, qui causam interdicto dederunt, tunc enim, praeter effectus, ut ita dicam, communes, effectus sunt personales, non secus ac si de interdicto ageretur personali particulari, seu effectus cumulantur. Can. 2274.

76. - Verum in interdicto locali exceptiones sunt, quibus eius vis valde mitigatur. Ita:

1° In interdicto *locali generali* possunt clerici, nisi aliud ferat interdicti decretum, omnia divina officia et sacros ritus obire in quacunque ecclesia vel oratorio, privatim tamen, scilicet ianuis clausis, voce submissa, organis campanisque tacentibus. — Immo in cathedrali vel paroeciali, vel in ecclesia, quae unica sit in oppido, etiam ianuis apertis et praesente populo, sed sine pompa et sollemnitate, tacentibus campanis, organis aliisve musicis instrumentis: unam tamen tantum Missam celebrari permittitur. — Ulterius: quibusdam sollemnioribus diebus, scilicet Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, SS. Corporis Christi et Beatae Virginis Mariae in coelum assumptae, interdictum locale, non modo generale, sed et particulare, suspenditur et ubique in ecclesiis vel oratoriis, divina officia, uti antea, celebrari possunt, etiam publice et sollemniter. Cann. 2270; 2271.

2° In interdicto *locali particulari*, nullum sacrum officium vel ritus sacer celebrari potest in altari vel sacello interdicto: sed in ecclesia interdicta capitulari, nisi interdictum sit Capi-

tulum vel interdicti decretum Missam conventualem praecipiat celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia vel oratorio, possunt a clero omnia privatim peragi, quae in interdicto locali generali: et in ecclesia interdicta paroeciali, nisi decretum pro interdicti tempore aliam ecclesiam eidem substituat, omnia quae, eodemque modo, quo in ecclesia paroeciali tempore interdicti localis generalis. Can. 2272.

77. - II. *Sacramenta conficere, ministrare* vel *recipere* prohibetur interdictis: immo, post sententiam, etiam Sacramentalia, eodem modo quo excommunicatis. Can. 2275, 2°.

1° *Conficere* et *ministrare*. Permittitur tamen ad fidelium petitionem, qui, ex causa rationabili, a ministro interdicto Sacramenta et Sacramentalia petere possunt; et, in mortis periculo, etiam a specialiter interdicto absolutionem sacramentalem, immo, si alii ministri desint, etiam alia Sacramenta et Sacramentalia.

2° *Recipere*. Sed in articulo vel periculo mortis non prohibentur, neque nominatim interdicti, recipere, servatis servandis, Sacramenta necessaria, Poenitentiam nimirum, Extremam Unctionem, praesertim si infirmus nullum aliud recipere possit Sacramentum: immo et SS. Viaticum, tum quia in articulo vel periculo mortis cautum est ut quilibet sacerdos a quibuslibet censuris quemlibet poenitentem absolvat, tum quia mens interdicentis Ecclesiae ea esse non potest, ut quis, in tanto discrimine, remediis privetur maxime necessariis. — Nisi tamen agatur de aegroto sensibus destituto, debet ab eo prius satisfactio praestari vel, si non possit, promissio de satisfactione, tempore opportuno, praestanda. Sacrum vero Viaticum potest et debet ad infirmum deferri consueta cum sollemnitate.

3° In interdicto autem locali, sive generali sive particulari, et tempore interdicti, non vetatur morientibus Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis ministrare. Sacrum vero Viaticum est privatim ad infirmos deferendum. Can. 2270, § 1. — Immo omnibus christifidelibus permittitur in cathedrali, paroeciali vel unica, quae in oppido sit ecclesia, baptismum, Eucharistiam, (et potest ibidem SS. Eucharistia asservari), poenitentiam, matrimonium, exclusa tamen nuptiali benedictione;

diebusque sollemnioribus, in quibus interdictum suspenditur, uti supra, etiam confirmationem (non autem Ordinum collationem et sollemnem in nuptiis benedictionem) ministrari: iis exceptis, nisi, praestita satisfactione, ab interdicto absolvantur, qui interdicto locali causam dederint. Cann. 2270, § 2; 2271 et 2276.

78. - III. *Sepultura ecclesiastica est deneganda* nominatim interdictis, seu post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, si decedant absque absolutione, vel saltem nullum poenitentiae signum dederint, aut probabile non sit tale signum dedisse: nam, si constet vel probabiliter de poenitentia, poterunt, praestita indirecta absolutione ab interdicto, ecclesiasticae sepulturae tradi, can. 2275, 4°. — Aliis, non denuntiatis scilicet, sive generaliter, sive particulariter interdictis, ecclesiastica sepultura non denegatur. Possunt igitur sepeliri in ecclesia vel coemeterio non interdictis: quibus enim vivis communicamus, possumus etiam mortuis communicare. — In interdicto vero locali, tam generali quam particulari, possunt fidelium cadavera sepeliri in coemeterio interdicto, sed sine ullo ecclesiastico ritu, can. 2272, § 2, praehabitis exsequiis absque sollemnitate, in cathedrali, vel paroeciali, vel unica loci ecclesia. Can. 2271, 2°.

79. - Praeter recensitas, alia est addenda privatio, c. 2275, n. 3°, pro personaliter interdictis. Isti enim, non secus ac excommunicati, ex praescripto can. 2265, privantur iure eligendi, praesentandi, nominandi: consequendi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas, aliudve munus in Ecclesia: et ita quidem ut nominatim interdictus invalide agat vel accipiat: iure insuper recipiendi ordines, et ita quidem ut irregularitatem interdictus incurrat, si ordinem sacrum male receptum exerceat.

80. - Interdictum, cum poena sit fori externi, nonnisi ab habente iurisdictionem propriam et ordinariam in foro externo, ferri potest: ideoque, non solum a S. Pontifice, sed etiam ab Episcopo vel alio iurisdictionem quasi-episcopalem habente

(non a Vicario Generali), intra limites suae iurisdictionis. — Attamen cautum est, can. 2269, § 1, ut interdictum generale, quo vel tota aliqua dioecesis vel totius dioecesis populus (a fortiori si provincia vel respublica) interdicto subiiciatur, nonnisi a Sancta Sede vel de eius mandato ferri possit. Episcopus igitur interdictum generale tantum in paroeciam vel eius populum: vel particulare, sive locale sive personale, ferre potest.

81. - *De interdicto ab ingressu ecclesiae.* — Speciale quoddam interdictum, quod in iure commemoratur, est interdictum ab ingressu ecclesiae. Interdictum est personale particulare et per se vera censura (etsi in poenam etiam et principaliter statui possit), quae a iure esse potest vel ab homine. Huius interdicti hi sunt effectus: ut quis non possit (quia prohibetur) in ecclesia divina officia celebrare, vel eisdem assistere aut ecclesiasticam sepulturam habere: si autem assistat, necesse non est ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur. Can. 2277.

Igitur: ita interdictus nullum in ecclesia officium divinum exercere potest, nimirum, neque Missam celebrare, neque Sacramenta ministrare neque, publice saltem, recipere, neque Missae vel processioni vel psalmodiae interesse. Cf. quae diximus de divinis officiis quoad excommunicatos, num. **58**. — Verum nonnisi in *ecclesia;* ideoque extra ecclesiam omnia ei licent, quae antea, quasi interdictus non esset. — Ecclesiae autem nomine intelligitur aedes sacra, seu, consecratione vel benedictione, divino cultui dedicata, eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum. Cann. 1161, 1154. — In ecclesia *divina officia* etc. Ergo non prohibetur ecclesiam ingredi, quando nulla ibidem fiunt divina; immo nec tempore divinorum, ut seorsim et privatim oret, vel ut privatim Sacramenta recipiat, vel ut concionem audiat. — Prohibitio vero ecclesiasticae sepulturae intelligitur in ecclesia vel coemeterio etiam non contiguo: sed ecclesiasticae tantum sepulturae, ideoque non prohibetur ita interdictus in coemeterio etiam contiguo divina, quae ibidem permittuntur, peragere vel eisdem assistere.

82. - Ad violationem quod attinet interdicti, dicendum tum clericos tum laicos interdictum violantes, sive personale sive locale, sive generale sive particulare, per se graviter peccare: nam de re agitur per se gravi, considerato interdicti fine, et patet ex sanctionibus, quibus Ecclesia eius observantiam tuetur. *Per se;* nam dari potest materiae parvitas, sicut in cuiuscunque legis positivae violatione. Ita non videtur graviter peccare clericus, si quod divinum officium peragit, quod a laicis etiam fieri solet; vel si ad breve tempus ianua ecclesiae aperta maneat, quando sacra permittuntur clericis, ianuis clausis; vel si non specialiter interdictus divinis assistat; immo, saltem probabiliter, neque si laicus, generatim tantum interdictus, Sacramenta recipiat. — Clericus insuper, ut iam diximus, interdictum violans per ordinis sacri exercitium, irregularitatem incurrit, can. 985, 7°: etiam ab ingressu ecclesiae tantum interdictus, si in ecclesia divina peragat, quia verum est ab eo exerceri sacri ordinis actum, poena canonica sibi prohibitum. Quod vero id possit extra ecclesiam, casum non mutat.

Articulus III.

De Suspensione.

83. - *Suspensio* est censura, qua clericus usu ecclesiasticae potestatis privatur.

1) Est *censura:* profecto, si ut poena medicinalis ad contumaciam frangendam infligitur, qua cessante, absolutione est auferenda; hinc non pro delicto mere praeterito etc. Cf. dicta de censuris in communi. At inferri potest per modum merae poenae, scilicet vindicativae, in perpetuum vel ad tempus: immo per modum etiam privationis, si quis neque contumax neque delinquens, membrum sit corporis moralis seu collegii, quod suspensioni subiicitur: tunc enim, utut innocens, ab actibus communibus, quibus collegium est suspensum, et ipse prohibetur: vel ob criminis suspicionem ad obtrectationes vitandas vel scandala, ex quadam oeconomia, ratione reverentiae erga sacrum ministerium. Can. 1956.

2) Qua *clericus:* nam suspensio nonnisi in clericos ferri valet, siquidem potestatis ecclesiasticae, cuius usu suspensio privat, clerici tantum sunt capaces.

3) *Usu privatur* potestatis ecclesiasticae: ergo non privatur clericus ipsa potestate (neque potestate ordinis privari posset), sed iure tantum ea utendi. Attamen, excepta ordinis potestate, ea privari posset et tunc potestatis actus, non tantum illiciti, sed et invalidi essent; et vicissim, actibus invalidis, ipsa potestate clericum privari intelligeretur.

4) *Potestatis ecclesiasticae:* sive officii, quae distinguitur in ordinis potestatem et iurisdictionis: sive beneficii, quae datur propter officium, v. gr. potestas beneficium administrandi, fructus percipiendi etc. Suspensione potest clericus officio vel beneficio, vel utroque interdici. Can. 2278, § 1.

84. - Igitur suspensio tripliciter distinguitur, scilicet: *a*) *ab officio*, vel *b*) *a beneficio*, vel *c*) *ab utroque.* Iterum quaecunque suspensio, sive ab officio sive a beneficio, vel totalis vel tantum partialis esse potest, prout vel omnibus privat potestatis, cuius usu clericus interdicitur, actibus, vel aliquo aut aliquibus tantum. Nam suspensionis effectus separari possunt; idque dependet a Superioris suspensionem ferentis voluntate. — Attamen, nisi aliud constet, in suspensione generaliter lata omnes effectus comprehenduntur, qui in canonibus numerantur ex suspensione ab officio et beneficio: ideoque suspensio totalis est absolute. Can. 2278, § 2. Quales vero effectus producat suspensio, prout ab officio vel a beneficio est, totalis vel partialis, ex sequentibus habes:

§ 1. — *De suspensione ab officio.*

85. - « Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii ». Can. 2279, § 1. — Nomine administrationis ex officio competentis administratio venit, ut ex addita exceptione constat bonorum beneficialium, vel bonorum ecclesiae temporalium, quam quis

habeat ratione officii. Hinc parochus v. gr. ab officio suspensus, neque in temporalibus negotia gerere potest suae ecclesiae. Suspensus tamen ab officio tantum retinet, cum administratione bonorum sui beneficii, ius fructus percipiendi, dummodo oneribus beneficio adnexis per alium satisfaciat. Si vero suspensio ab officio partialis est, effectus ex sequentibus colliguntur:

1° « Suspensio *a iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae ». Can. 2279, § 2, 1°. — *Vetat:* scilicet iurisdictio illicite exerceretur; sed actus non irritat, nisi suspensus, uti talis, sit sententia denuntiatus vel ipsa iurisdictionis potestate expresse a Superiore privatus. Immo licite etiam iurisdictione uteretur ad fidelium petitionem non denuntiatus; et, in mortis periculo, ad absolvendum, suspensus quilibet. Can. 2284. Insuper haec suspensio extra territorium eam ferentis verius non tenet. Cum enim alia sit iurisdictionis potestas, quam suspensus forte alibi accipit, non apparet quomodo Ordinarius, suum subditum suspendens, possit alium Ordinarium impedire ab iurisdictione eidem conferenda in propria suipsius dioecesi; hanc enim etiam non subdito conferre potest: subditus vero nonnisi illa iurisdictione privatus censetur, quae, quoad sui exsistentiam et exercitium, ab auctoritate dependent sui Ordinarii. Aliud est de suspensione ab ordine, quae profecto ubique tenet: nam potestas ordinis, ubicunque exerceatur, semper eadem est, et suspensus, ordinem sibi interdictum exercens, directe contra sententiam ageret suspensionis, quae eum ligat eique personaliter adhaeret, saltem vi iuris communis, quod actum probat Ordinarii et vult ubique servari. Ballerini-Palmieri, *De Censuris*, num. 502. Attamen etiam quoad suspensionem ab ordine ius commune nunc aliud est. Cf. inferius n. **88** iuxta can. 2282.

2° Suspensio « *a divinis*, (vetat) omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet ». Can. 2279, § 2, 2°. — *Per privilegium*, uti, ex. gr., potestatis confirmationem conferendi vel ordines minores: immo et quarumcunque consecrationum et benedictionum, quae ex natura sua vel ex tenore concessionis ordinem sacrum requirunt.

3° Suspensio « *ab ordinibus*, (vetat) omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem ». Can. 2279, § 2, 3°. — *Receptae per ordinationem:* ergo non vetatur potestatis usus per privilegium acceptae, etsi haec ordinis potestatem supponat et in ea fundetur: minus igitur patet haec suspensio quam praecedens. Ita suspensus ab ordinibus adhuc potest tonsuram conferre aut minores ordines vel confirmare vel sacrorum vasorum consecrationem peragere, si ex speciali indulto facultatem habeat. Quantum tamen est potestatis ordinis, sacri vel non sacri, vi ordinationis receptae, quoad usum hac censura aufertur: ideoque neque sacerdos, immo neque Episcopus, quidquam peragere potest, quod exercitium involvit vel inferiorum tantum ordinum.

4° Suspensio « *a sacris ordinibus*, (vetat) omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris ». C. 2279, § 2, 4°. — *Per ordinationem in sacris:* ergo non per collationem ordinum minorum.

5° Suspensio « *a certo et definito ordine exercendo*, (vetat) omnem actum ordinis designati; suspensus autem prohibetur insuper eundem ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere ». Can. 2279, § 2, 5°. — *Eundem ordinem conferre*, si nempe suspensus sit Episcopus vel alius, qui ex privilegio conferre posset, ex. gr. minores ordines vel subdiaconatum. Cum tamen privilegium ordines conferendi sit rarum et ordinarie non detur suspensio ab ordine inferiori, exercitio relicto ordinis superioris, canon practice iis potissimum applicatur, qui ex iure, vi characteris episcopalis, ordines conferre possunt. Si igitur Episcopus sit ab ordine sacerdotali suspensus, non modo nullum actum huius ordinis exercere potest, sed neque presbyterorum ordinationem peragere, etsi alios ordines conferre possit. — *Et superiorem recipere.* Prohibetur igitur ad ordinem superiorem ascensus: idque sub gravi, uti patet, atque omnibus, qui ab ordine, quo potiuntur, etiam minore, suspensi fuerint. — Verum ordinem superiorem iniure recipiens contrahitne irregularitatem? *R.* Minime recipiendo, quia id non recensetur inter irregularitates, quae nonnisi positivo iure sunt constitutae. Utique ordinem ita receptum exercendo, si ordo sit sacer; ab eo enim exercendo

poena canonica prohibetur per modum suspensionis, ad normam can. 985, 7°.

6° Suspensio « *a certo et definito ordine conferendo*, (vetat) ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem ». Can. 2279, § 2, 6°.

7° Suspensio « *a certo et definito ministerio*, ex. gr., audiendi confessiones, vel *officio*, ex. gr., cum cura animarum, (vetat) omnem actum eiusdem ministerii vel officii ». Can. 2279, § 2, 7°. — Vel *officii*, scilicet non simpliciter, quo in casu, uti supra fuit declaratum, ab omni actu, tum ordinis, tum iurisdictionis, tum simplicis administrationis suspensus interdiceretur: sed certi et definiti officii, ut et de ministerio dicitur et exemplum ponitur habentis curam animarum, (vetat) omnem actum potestatis ordinis episcopalis ». Can. 2279, § 2, 8°. — *Ordinis:* ergo non iurisdictionis. *Episcopalis:* ergo non sacerdotalis. Hinc non potest suspensus confirmare, consecrare Episcopos, neque uti assistens, ecclesias, vasa sacra, olea etc. consecrare: sed potest omnes alios actus exercere ordinis presbyteralis.

9° Suspensio « *a pontificalibus*, (vetat) exercitium actuum pontificalium, ad normam can. 337, § 2 ». Can. 2279, § 2, 9°. — Actus pontificales in iure accipiuntur sacrae functiones, ad quas exercendas ex legibus liturgicis insignia requiruntur pontificalia, id est baculus et mitra. Consequenter suspensus ab actibus repellitur episcopalibus, qui sine praedictis insignibus fieri non debent, quales sunt: confirmationem vel sacros ordines conferre, virgines, ecclesias, altaria consecrare. Potest tamen Missam celebrare, etiam sollemnem, more aliorum sacerdotum (non pontificalem), confessiones audire, baptizare, immo et censuras ferre, conferre beneficia, aliosque actus iurisdictionis exercere, quippe qui ad pontificalia minime spectant. Porro si Episcopus, insignibus pontificalibus usus, functionem pontificalem exerceat, certo graviter peccat contra suspensionis legem et irregula-

ritatem incurrit: sed, si cum eisdem insignibus actum non pontificalem ponat, contra leges tantum liturgicas peccat; neque graviter, videtur, nisi in contemptum suspensionis.

§ 2. — *De suspensione a beneficio.*

86. - «Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat». Can. 2280, § 1.

Igitur: 1) Suspensus tantum a beneficio potest adhuc totam exercere potestatem ordinis et iurisdictionis: emolumentis mere privatur seu beneficii reditibus, cuius tamen retinet administrationem, nisi expresse hac etiam privetur. 2) Reditibus seu fructibus privatur; ideoque et censibus et decimis etc. — Nonne etiam distributionibus, praestationibus, oblationibus, iuribus stolae etc.? Affirmandum iuxta can. 1410, quo non quidem beneficii notio immutatur, sed bonorum ampliatur latitudo, quae beneficii dotem constituunt. Sane ad hanc constituendam concurrunt, «sive bona, quorum proprietas est penes ens iuridicum (tale est beneficium), sive certae et debitae praestationes alicuius familiae vel personae moralis, sive certae et voluntariae fidelium oblationes, quae ad beneficii rectorem spectent, sive iura, ut dicitur, stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis, sive chorales distributiones, exclusa tertia earundem parte, si omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constent». Hinc, uti patet, neque collectiones excluduntur, quae alicubi, in parochorum favorem fiant quibusdam anni diebus, v. g. Nativitatis Domini vel Paschatis.

Sed quaestio fieri potest: veniuntne semper paroeciae vel quasi-paroeciae sub nomine beneficii? — Ratio dubitandi est, quia quibusdam in regionibus, etsi nunc iuri communi subiectis, ut in America Septentrionali, videtur perpetuitas ex parte entis desiderari (beneficium enim est ens iuridicum, in perpetuum constitutum seu erectum): et inamovibilitas ex parte beneficiati, qua hic ad nutum removeri non potest, sed tantum servato ordine iuris, propter causas in iure expressas. Perpe-

tuitas quidem, quia nullo, ut plurimum, legitimo fundationis instrumento, permittitur vel committitur certis probatisque sacerdotibus ut in locis, in quibus urget necessitas, conentur paroeciam fundare, laudandi, si opus perficere valeant. Inamovibilitas vero, quia ibidem parochi ad nutum Ordinarii, quasi-vicarii, removeri possunt et removentur. Perpetuitas tamen et inamovibilitas sunt de ratione beneficii proprie sumpti.

Hisce tamen non obstantibus dicendum paroecias ibidem sub designatione venire veri beneficii. — Id nimis patet quoad paroecias illas, quarum pastores sunt irremovibiles: nam irremovibilitas in iure perpetuitatem supponit ex parte entis seu beneficii. Sed de aliis etiam paroeciis non videtur ambigendum; nam, cum legitima Ordinarii auctoritate constituantur, entia sunt iuridica et natura sua (ita enim fert paroeciae finis et ratio) perpetua. Legitimum vero fundationis instrumentum neque ad valorem requiritur, saltem pro paroeciis, quae ipsa sua exsistentia ab Ordinario recognita et probata, seipsis sunt instrumentum sufficiens; neque semper deest, quia Ordinarii, vel authentico documento in Curia asservando paroeciam constituunt, sub tali vel tali titulo et sacerdoti designato eam adunandam et regendam tradunt; vel, si cui sacerdoti experiri permittunt, deinde, paroecia constituta, eum vel alium rectorem authentice scriptis nominant: quo in casu ex nunc beneficium exsistit. Inamovibilitas vero non sese tenet ex parte beneficii, quod tale est et manet, sive eius titularis sit inamovibilis, sive sit amovibilis; sed ex parte personae. Porro parochi etiam amovibiles et beneficio fruuntur et sunt parochi proprie dicti, ut constat ex cann. 451, 454 coll. cum cann. 2147, 2157.

87. - Iam nunc beneficiatus a beneficio suspensus, si fructus percipiat, fructus restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus. Canon 2280, § 2. — *Restituere debet et cogi potest* etc.: sed, nisi iudicis sententia iure privetur retinendi, neque accipiendo, neque retinendo seu non restituendo, peccat contra iustitiam, quia suspensio non iure privat sed iuris tantum exercitio. — Insuper, cum officium retineat et per se vel per alium officium adimpleat, potest de fructibus beneficii ea sibi retinere, quae

ad sustentationem sibi sunt necessaria vel ad solvendum substituto stipendium laboris. Ecclesia non censetur a beneficio suspensum cogere velle ad emendicandum vel substitutum ad gratis opus suum praestandum. — Fructus, quos beneficiarius non percipit, nisi aliud a Superiore statuatur, convertendi sunt in ecclesiae utilitatem, ad quam beneficium pertinet. Bonacina, *De censuris*, disp. 3, n. 14; Schmalzgr., lib. V, tit. 39, n. 297.

§ 3. — *Doctrinae complementa.*

88. - Suspensio *ab officio* vel *a beneficio* vel *ab utroque* afficit omnia officia aut beneficia, vel officia et beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat: non vero officium vel beneficium, quod forte clericus habeat in alia dioecesi, nisi agatur de suspensione latae sententiae iure communi irrogata, cann. 2281, 2282. — Et quoad dioecesim suspensionem ferentis res est clara: secus enim suspensio, quae simpliciter et sine limitatione fertur, irrita redderetur, nisi tamen ex ipsa suspensionis causa alia appareat suspendentis intentio. Ita, si parochus ab officio suspenditur, qui paroeciam non resignat intra tempus ab Ordinario determinatum, nisi Ordinarius intendat propter inobedientiam et contumaciam eum simpliciter et absolute suspendere, censetur ab officio tantum paroeciali suspensus: vel si a beneficio suspenditur, quia male sese gessit in officio paroeciali, ab illo tantum beneficio suspensus habetur. — Quoad beneficium vero vel officium in alia dioecesi, etsi censura sit ab homine, de qua potissimum antea disputabatur, certum est suspensionem illud neque afficere neque afficere posse: sunt enim decretoria verba canonis: «Loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio, quod in aliena dioecesi reperiatur». Et recte quidem, quia Ordinarius potest quidem quorundam iurium exercitio subditum privare, qua proprius eius subditus est; non vero qua est subditus alterius Ordinarii: idque fieret, si suspensus officio vel beneficio privaretur in aliena etiam dioecesi. — Sed bene intelligitur quod, si suspensio sit a iure communi, haec officia et beneficia afficit ubique locorum; quia tunc suspensio est a Summo Pontifice, cuius iurisdictio non

limitatur ad dioecesim, cuiusque nullus fidelium non est subditus. Haec non est exceptio, sed directa regulae confirmatio.

Vix autem indicare necesse est suspensionem, non secus ac excommunicationem, esse posse *a iure* vel *ab homine*, et quemcunque posse lege vel sententia suspendere, qui potest excommunicare. Est enim et ipsa poena fori externi, quae ferri potest ab habente in foro externo iurisdictionem.

89. - Potius attendenda, ratione effectuum, suspensio, qua quis suspensus est vitandus vel toleratus: vitandus, inquam, non simpliciter, uti excommunicatus vitandus, sed quoad actus ministerii, a quibus ipse est suspensus, quosque fideles non possunt ab eo requirere, nisi forte in periculo mortis. Talis est suspensus *nominatim*, sententia condemnatoria vel saltem criminis declaratoria. — Effectus vero iuridici diversae huius suspensionis tum Sacramenta et Sacramentalia, tum iurisdictionem utriusque fori, attingunt. *a*) Quoad Sacramenta scilicet et Sacramentalia, hic applicantur quae de excommunicatione, can. 2261, statuta sunt: id est, si contracta fuerit suspensionis censura, quae Sacramenta vetat vel Sacramentalia, vitandum nonnisi in periculo mortis posse absolutionem conferre et, si alii ministri desint, etiam alia Sacramenta et Sacramentalia: toleratum vero semper ad fidelium petitionem, qui ex qualibet iusta causa, maxime si alii ministri desint, petere possunt. *b*) Quoad iurisdictionem, si suspensio contracta fuerit, quae prohibet iurisdictionis actus, sive externi sive interni fori, vitandus invalide agit: toleratus autem, nisi Superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare, valide; immo a fidelibus petitus etiam licite. Can. 2284.

90. - Posse suspensionem ferri non tantum in personas singulas, sed etiam in communitates et collegia, iure et facto constat. — Porro vel *a*) ita fertur ut solae personae in communitate delinquentes suspendantur: et tunc quoad istas tantum suspensio omnes suos effectus producit, non secus ac si singulae singillatim fuerint suspensae: nihil quoad alias seu innocentes. Vel *b*) in communitatem fertur, qua talem, et tunc omnes, etiam innocentes, per modum tamen non poenae, sed merae priva-

tionis, ei subiiciuntur: effectus vero quoad omnes, innocentes et nocentes, ad privationem coarctantur usus iurium spiritualium communium, seu quae communitati competunt, ut communitas est. Vel *c*) fertur in delinquentes et communitatem simul: et tunc effectus cumulantur, innocentes nimirum iurium communium, delinquentes et communium et aliorum, prout secum fert excommunicatio in singulos, usu privantur. Can. 2285.

91. - Sicut in excommunicatione, ita etiam in suspensione, effectus sunt quoque mediati. Nam can. 2283 applicantur suspensioni, quae in can. 2265 de excommunicatione statuuntur. Ideoque etiam suspensus prohibetur: *a*) iure eligendi, praesentandi, nominandi; *b*) nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia: et ita quidem ut, si suspensus post sententiam condemnatoriam vel criminis declaratoriam aliquem actuum posuerit, qui sub duplici hoc numero ei prohibentur, invalide etiam agat; *c*) promoveri nequit ad ordines. Recole dicta de excommunicatione sub num. **67**.

Ex suspensionis definitione et omnibus, quae praecedunt, patet suspensionem nonnisi in clericos ferri posse, saltem in minoribus constitutos. Quare si dicantur suspendi moniales vel alii, quibus nulla proprie sacra potestas competit, hoc tantum improprie et analogice accipiendum est.

§ 4. — *De suspensione ex informata conscientia.*

92. - Suspensio, cum poena sit gravissima, infligi ab homine non potest, nisi praemissa canonica monitione, in scriptis, quorum instrumentum clerico dandum, si expostulet, causa expressa aliisque iuris servatis formalitatibus. « Quare, si Praelatus, vel non praemissa monitione, vel causa non expressa, vel oretenus dicat: ego te suspendo, nisi lata fuerit per modum praecepti, aliquid nempe praecipiendo, puta famulam dimittere intra certum tempus, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, erit potius vel mera poena, vel simplex celebrandi prohibitio et non censura: non enim praesumitur Praelatus voluisse delinquere, censuram absque praevia monitione, vel

non declarata causa, vel oretenus ferendo ». Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, De suspens., num. 1125.

Est tamen suspensio, ut dicitur, ex informata conscientia, qua clericus ab officio suspendi potest, sive partialiter, sive totaliter, per sui Praelati sententiam, ex causis eidem notis, nulla praemissa canonica monitione, nulla servata forma iudiciali; sed simplici tantum decreto suspensionem clerico indicente: omni insuper remota appellatione, praeter recursum ad Apostolicam Sedem, qui liber semper manet. — Verum hoc extraordinario uti remedio Praelatis non permittitur, nisi hisce sub conditionibus: 1°) Ut delictum notorium non sit, sed occultum, contra quod tamen non possit Praelatus sine gravi incommodo ad iuris normam procedere; vel, si publicum, processus tamen iudicialis institui vel perfici nequeat, sive defectu testium vel aliarum probationum, sive obsistente clerico vel iure civili, sive gravis scandali periculo. 2°) Ut delictum sit certum et adeo grave ut tali poena digne plectatur. 3°) Ut decretum, nisi aliud adiuncta exigant, in scriptis detur, cum adnotatione diei, mensis et anni, expressa declaratione censuram ferri ex informata conscientia, seu ex causis ipsi Ordinario notis, temporis determinatione (nam hanc poenam Ordinarius in perpetuum ferre non debet) et, si feratur per modum censurae, patefacta clerico causa, propter quam irrogatur, clara tandem indicatione actuum, qui prohibentur, si suspensio non totalis, sed partialis infligatur. Cann. 2186-2188; 2190-2191.

Cum nomine Ordinarii veniat Vicarius etiam Generalis, necnon, sede vacante, Vicarius Capitularis, et isti possunt suspensionem ferre ex informata conscientia.

93. - Suspensio huiusmodi, ut patet, ferri potest, vel per modum merae poenae, vel per modum censurae: et, si per modum censurae, ferri nequit, iterum inquam, pro delicto mere praeterito, nullum habente tractum successivum, vel in perpetuum, vel ad tempus definitum, vel ad beneplacitum, quia secus medicinae rationem, quod est de essentia censurae, non haberet. — Ferri tamen potest per modum censurae, nulla praemissa monitione vel alia iuris formalitate: id tantum requiritur et sufficit, ut causa, propter quam infligitur, suspenso

patefiat. *Requiritur*, quia censura est poena medicinalis, et non potest, ut medicina, operari, nisi a censurato cognoscatur, et quidem ex authentica Superioris declaratione, qua de causa infertur. *Sufficit*, quia saltem ex tunc habetur contumacia, donec censuratus resipiscat: resipiscens autem est absolvendus. — Si per modum censurae feratur, eam violans per exercitium ordinis sacri, a quo prohibetur, suspensus certo incurrit irregularitatem. — Quid tamen, si lata sit tantum per modum poenae? — Olim fieri poterat et erat quaestio: sed ex Codice I. C., irregularitatem incurrit quicunque ordinem sacrum exercet, a quo poena canonica, etiam mere vindicativa, prohibetur. Ideo quaestio finita est. Can. 987, 7°.

LIBER SECUNDUS

DE SINGULIS CENSURIS

Considerandae iam veniunt, per sectiones et series iuxta gravitatem distinctae, censurae nunc vigentes, excommunicationis, interdicti et suspensionis, quibus plura coercentur graviora delicta, ea praesertim, quae in perniciem vergunt Christianae Reipublicae.

SECTIO I.

EXCOMMUNICATIONES

SERIES I.

Excommunicationum scil. « specialissimo modo » Sedi Apostolicae reservatarum.

Excommunicationi specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatae subiiciuntur:

1.

Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit... et est ipso facto infamis. Can. 2320.

Gravissimum crimen hac censura punitur contra Religionem, utpote contra SS. Eucharistiam, quae totius christiani cultus quasi centrum exsistit: non utcunque commissum, sed sacras species *proiiciendo*, vel ad malum finem *abducendo*, vel *retinendo*.

1. - Igitur: *Species consecratas* seu eucharisticas, vel panis vel vini, dummodo certo constet eas esse consecratas.

Abiecerit, ex contemptu nimirum; nam abiectio et abiectum nonnisi de illo dicitur, quod contemnitur. Ideo excommunicationem incurrit qui post communionem, particulam despiciendo, exspuit; vel sacras species, ciborium furando, in terram effundit seu proiicit; vel utcunque asportatas, sive ex sacro tabernaculo sive ex sacerdotis manu eripuerit, in loco non tuto aut indecenti relinquit. — Non incurrit vero qui statim exspuit post communionem, etsi forte cum saliva vel phlegmate aliquid sacrarum specierum culpabiliter eiiciatur; neque fur, qui ciborium evacuet vel in ipso tabernaculo vel super corporali vel saltem altaris mensa; neque sacerdos, qui ex culpabili praecipitantia vel negligentia inter communicandum aliquam particulam deiicit, vel inter celebrandum calicem effundit; neque qui sacrilege communicanti communionem praebet; neque, idque evidentius, qui sacrilege communicat.

2. - *Ad malum finem abduxerit:* sive ipse malum finem intendat, sive alius, pro quo abducit. Non requiritur ut sacrae species reipsa ad malum finem adhibeantur; sed sufficit ut ad eundem finem abducantur, seu quocunque modo acceptae, licite, ex. gr. communione, vel illicite et sacrilege, ex. gr. furto, asportentur ad malum finem. — Quemnam? Lex non distinguit: hinc quicunque in gravem SS. Eucharistiae iniuriam et contemptum finis recidens ad excommunicationem sufficit. Non modo igitur si ad finem diabolicum, ut eis insultet vel utatur ad magiam aliasve superstitiones, sed etiam si quis abducat ut eas ad fines adhibeat profanos, puta, ad litteras sigillandas; vel animo tantum superstitioso, ex. gr. ut eas deferat, velut amuletum, ad morbos pellendos, vel sese contra infortunia muniendum: nam hoc etiam in casu, superstitionis scilicet, finis est subiective malus et SS. Eucharistiae graviter profecto iniuriosus. — Quid tamen, si finis subiective, vel etiam identidem obiective, sit malus, sed SS. Eucharistiam non afficiat, v. gr. ad parochum moerore in vindictam afficiendum, vel punitionem ab Episcopo ex malo animo ei procurandam? — Non videtur abducens censuram incurrere, quia non simpliciter

abductio, licet SS. Eucharistiae iniuriosa, censura punitur; sed abductio in finem malum; ideoque requiritur ut finis, qua talis et praecisive, in contemptum cedat et iniuriam SS. Eucharistiae: hic vero despectus et iniuria non est in SS. Eucharistiam, sed in parochum. — Aliud autem esset, si quis abduceret, ut fideles communione vel viatico priventur, quia satanica haec intentio vel ipsi SS. Eucharistiae iniuriam inferret, quae est panis viatorum continuo praeparatus esurientibus.

3. - *Retinuerit:* ad malum scilicet finem, etsi non abduxerit ipse, sed alius; vel, si ipsemet abduxerit, non tamen ad malum finem. Potest sane quis per se vel per alium retinere, et, sive per se sive per alium tali intentione seu fine retineat, censuram incurrit. — Sed incurritne qui pro alio retinet? Incurrit saltem, si pro alio retinet, cuius malum finem non ignorat, cuique hoc modo cooperationem praestat: nam id est retinere et retinere ad malum finem: censura vero est contra retinentes, utcunque retineant.

Est ipso facto infamis: infamia nempe iuris et latae sententiae. Haec est alia poena, quae excommunicationi superadditur et cuius iuridici effectus sunt, non modo reum privari iure et legum protectione ad bonam famam, sed etiam fieri irregularem et inhabilem ad actus legitimos ecclesiasticos, necnon ad iura et munera ecclesiastica obtinenda vel exercenda. Cf. cann. 2293-2295.

2.

Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit..... et est ipso facto vitandus. Can. 2343, § 1, 1°.

4. - *Violentas manus iniecerit.* Violentas manus iniicere non est tantum percutere vel, eo magis, vulnerare, mutilare, occidere; sed etiam vim physicam quomodocunque personae Romani Pontificis inferre, quae gravem constituat de facto iniuriam, ex. gr. eum capiendo, vel captivum detinendo, immo vel rhedam aut currum sistendo seu gressum inhibendo, ne ulterius procedat, pileum vel baculum detrahendo, vestes conscindendo; etiam lapidem, lutum, sputum aliudve contumeliose

in eum iniiciendo: brevi, quacunque actione iniuriosa, qua Romani Pontificis persona impetatur vel in semetipsa, vel in sui libertate, vel dignitate. *Actione*, non verbis: quia, etsi verba contumeliosa in Romanum Pontificem sint gravissima, non tamen sub clausula veniunt « violentas manus », sed sub clausula potius venirent « violentam linguam » quae tamen clausula vel similis in hoc excommunicationis articulo non recensetur, quia mens legis fuit nonnisi graviora tanta poena mulctare, ea scilicet, quae in personam Romani Pontificis opere committantur. — Et hic animadvertatur cum S. Alphonso, n. 273, recte a DD. notari, semper ac percussio (et idem dicatur de quacunque alia iniuria reali in personam), est graviter iniuriosa, ratione reverentiae clerico debitae (hicque de Summo Pontifice agitur, cui, ut Christi Vicario, maxima debetur reverentia), ad censuram sufficere quamlibet vel levem percussionem, etiamsi levissimus tactus physicus intercedat. Graviter vero iniuriosa, obiective et formaliter semper est, si, ratione sui vel circumstantiarum, offensam constituat in personam Romani Pontificis, et ab eo procedat, qui personae conditionem seu qualitatem cognoscat. Utrumque enim requiritur. *In personam:* id est, in ipsum Romanum Pontificem directe et immediate; non autem in alium, puta legatum, vel in aliud, puta effigiem, quae eum repraesentat.

Romani Pontificis: id est, pro tempore exsistentis et viventis; ideoque hac censura non punitur, qui R. P. cadaver vel cineres indigne tractet.

Et est ipso facto vitandus. Igitur non requiritur sententia criminis vel contractae excommunicationis declaratoria. Omnes et singuli, qui id sciunt utcunque, certo tamen, sciant, eum vitare tenentur.

3.

Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi... idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri. Can. 2367.

5. - *Absolvens:* sive valide, uti videtur, si complex alia etiam peccata confiteatur et sit in bona fide; sive invalide, si nimirum unum tantum poenitens peccatum complicitatis confiteatur.

6. - *Fingens absolvere:* non absolvit, sed simulat absolutionem, utpote si alias recitet preces, vel quid indistinctum obmurmuret, quo videatur absolvere. Cuinam videatur? Profecto ipsi poenitenti, qui eo decipitur vel decipi potest: nam quoad alios nulla foret excommunicatio, si ex condicto cum poenitente confessarius benedictionem cum signo crucis vel quid aliud pronuntiaret super complicem, ne adstantes advertant eum inabsolutum dimitti, etsi isti decipiantur.

Complicem, id est, socium et in conscientia reum; nam complicitas intelligitur formalis.

In peccato turpi, seu contra sextum Decalogi praeceptum, non tantum interne, sed etiam externe gravi, utcunque, sive opere, sive verbis tantum commisso. Complex, praecise ratione complicitatis et saltem quoad peccatum complicitatis, est ab iurisdictione subtractus confessarii complicis, donec peccatum complicitatis fuerit per confessionem alii factam directe remissum, et complicitas exinde resoluta. Neque excommunicatio vitatur, si poenitens peccatum complicitatis non confiteatur, eo quod confessarius ad illud reticendum directe vel indirecte eum induxerit: secus vitatur quidem a confessario excommunicatio, sed non semper grave peccatum. S. Poenitentiaria 19 Febr. 1896.

7. - *Idque etiam in mortis articulo* etc. Itaque sacerdos complex, absolvens vel fingens absolvere, neque in mortis articulo excommunicationem effugeret, nisi vel nullus alius haberetur aut haberi posset sacerdos, etiam non confessarius; vel alius non posset, sine infamiae vel scandali periculo, reali sane, non conficto, excipere confessionem; vel moribundus recusaret alii confiteri: nam in primo et tertio casu aeterna moribundi salus periclitaretur, quod absit: in secundo vero lex urget negativa naturalis, cui cedere debet lex positiva, utut gravissima, de complice non absolvendo.

In mortis articulo. Rigidene est id intelligendum, ita scilicet, ut complex ab absolvendo excludatur, nisi in adiunctis,

uti supra, in quibus ipse admittitur, mors certa sit et fere imminens? Non ita, quia etiam in mortis periculo, prudenter existimato, etsi mors neque ita certo impendens, neque certa sit, eadem, moraliter loquendo, est proximi necessitas: hincque in iure, ex communissima DD. sententia, mortis articulus et periculum aequiparantur, quoad Sacramenta necessaria. — Neque censeri potest Ecclesiam, quae cuilibet sacerdoti, ne quis pereat, facultatem concedit a quibuslibet peccatis et censuris absolvendi in mortis periculo, cann. 882; 892, § 2, velle in casu complicitatis et quoad sacerdotem complicem id ad casum mortis certae et imminentis limitare, seu stricte ad mortis articulum. Absit! nam quis profecto perire posset.

Addendum, si iuvat, ad maiorem elucidationem, illegitime non absolvere confessarium complicem (hinc nullum peccatum, nullaque poena), si, confessione ab eo incepta in necessitate, alius sacerdos adveniat, vel, evanescente mortis periculo, iterum absolvat, ut confessionem ratione integritatis perficiat, dummodo antea poenitens peccatum complicitatis manifestaverit, ideoque ab eo iam fuerit directe absolutus. Ratio primi est, quia iurisdictio ab initio habita perdurat, donec scilicet poenitens absolvatur. Ratio secundi est, quia per directam absolutionem a peccato complicitatis, complicitas destructa est. Ratio exceptionis, quia e contra complicitas manet.

4.

Confessarius, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit. Can. 2369.

8. - *Confessarius:* qui scilicet ex munere sibi proprio, sive a iure sive ab homine, habituali vel actuali, et actuali quidem, sive legitime, ut in mortis periculo, sive illegitime, ut in casu erroris communis, illud exerceat, confessiones excipit et valide per se absolvit. Ideoque excluditur non modo laicus vel clericus non sacerdos, qui confessiones per nefas audiat; sed etiam sacerdos, qui nulla actu facultate potiatur ad absolvendum, ex. gr. in casu erroris privati: quia iste nullatenus confessarius est, nullo munere gaudet. Neque obstat confessionem bona fide

factam, vel laico, esse sacramentalem et secum sigilli afferre obligationem; nam, etsi ita sit, non sequitur tamen violantem huius confessionis sigillum, licet gravissime peccet, hanc excommunicationem incurrere, quam Ecclesia ad confessarios vult restrictam proprie tales, suo munere abutentes. At vicissim, si confessarius, sive absolvat sive non absolvat, quacunque de causa non absolvat, dummodo confessio fuerit sacramentalis, per directam sigilli violationem censura tenetur.

Sigillum sacramentale: nonnisi ex confessione oritur sacramentali, quae scilicet fiat ad absolutionem per claves Ecclesiae obtinendam, sive detur, sive non detur absolutio.

Directe violare: ergo indirecta violatio, etsi per se et in individuo gravis, hac poena non mulctatur. — Directa vero est violatio, quando peccatum in confessione auditum vel aliud cum peccato ita connexum ut et hoc necessario detegatur, simul cum persona poenitentis, expresse manifestetur, etsi nulla fiat confessionis mentio, nullave ad confessionem allusio, ut si quis dicat: Titius commisit hoc, puta, furtum vel adulterium; eoque magis, si dicat: Titium sibi hoc vel tale peccatum esse confessum, vel simpliciter se huic poenitenti onus imposuisse reparationis aut gravem pro criminibus poenitentiam. Cumque omnia peccata eaque omnia sub sigillo cadant, quae ad individuam peccati rationem explicandam, vel ex peccato simpliciter vel tali consequuntur, et sigilli violatio directa materiae parvitatem non admittat, perinde est sive peccatum ipsum, sive aliquid connexum vel consequens, sive grave sive leve aliquod peccatum, confessarius revelaverit; excommunicationem semper incurret.

Praesumpserit, id est, probe sciens et volens id egerit. Hinc si ignorantia, sive iuris, sive poenae, sive facti, etiam crassa et supina, non vero affectata, vel coactione, sane influente, id confessarius egisset, etsi a peccato non excusaretur gravi, excusaretur tamen ab excommunicatione; saltem in foro conscientiae, quia in foro externo ignorantia vel coactio debet probari. Can. 2229, § 1, § 2.

Series II.

Excommunicationum scil. latae sententiae « speciali modo » Sedi Apostolicae reservatarum.

Excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae subiiciuntur:

1.

Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici. Can. 2314, § 1.

9. - *Apostatae:* illi sunt, qui totaliter a fide recedunt, quam in baptismo professi sunt, sive ad sectam non christianam, puta, Iudaismum vel Mahumedismum vel Budismum vel quid aliud declinaverint; sive nulli sectae adhaerentes, excusso in religionis materia omni auctoritatis iugo, divinae et humanae, rationalistae vel indifferentistae simpliciter exsistant.

A christiana fide. Num sufficit ut baptismum receperint in secta haeretica vel schismatica? Minime, quia christiana fides, stricte, vera intelligitur fides, quae nonnisi catholica est: cumque agatur de poena gravissima, stricte est interpretandum. — Non sufficit tamen ut apostasiam quis mente tantum conceperit: nam, neque censurae peccata mere interna attingunt, neque apostasia est consummata, nisi professioni fidei per baptismum professio contraria opponatur. Debet igitur apostasia interna exterius manifestari, et quidem ita ut satis appareat errantem penitus a fide christiana defecisse.

10. - *Haeretici:* intelliguntur formales, qui videlicet de corpore Ecclesiae exsistentes per baptismum, vel catholice receptum, vel per conversionem a vitio originis sanatum, errori adhaereant contra fidem pertinaciter, id est, postquam sufficienter noverint contrarium esse revelatum et, uti tale, credendum proponi Ecclesiae infallibili magisterio. Ideoque neque

illi comprehenduntur, qui in secta haeretica baptizati et educati, si bonae fidei sint: neque illi, qui catholice baptizati et verae adhaerentes regulae fidei, in errore contra fidem obiectivam versantur, sive inculpabiliter, sive etiam culpabiliter, ignorantia vincibili, etiam crassa et supina, immo vel, probabiliter, affectata. Ratio quia ad haeresim formalem et consummatam requiritur ut ipsa regula fidei reiiciatur: idque non fit, nisi errans cognoscat doctrinam, cui pergit inhaerere, regulae fidei repugnare. Iamvero qui errat etiam ex ignorantia graviter culpabili, qualis profecto est ignorantia vel supina, vel, eo magis, affectata, ipsam vere non reiicit fidei regulam: nam, etsi diligentiam adhibere nolit, ut sciat quae sunt revelata, sive ex pigritia, sive ex inordinato suae opinionis affectu, optime adhuc voluntatem habere potest omnia credendi, quae ipsi sufficienter ut revelata proponuntur ab Ecclesia. Hinc, etsi graviter peccet contra fidem, non est tamen formaliter infidelis vel haereticus, sed fidelis et catholicus, credens omnia, quae a Deo revelata sunt et ab Ecclesia sunt definita et sibi sufficienter proponuntur. Cf. De Lugo, *De Fide*, D. 20, S. 6; S. Alphonsus, n. 301, qui huic doctrinae adhaeret. Bucceroni, *Instit. Mor.*, P. II, num. 1164.

Ita quidem, si haeresis stricte sumatur, prout in odiosis sumi debet, nisi aliud constet. Verum strictae huic interpretationi videtur in re praesenti obstare can. 2229, statuens nunquam ignorantiam, sive iuris sive facti, affectatam et, ordinarie, neque crassam vel supinam, a poenis excusare latae sententiae. Porro haereticus formalis, qui voluntaria ignorantia poenam ignorat seu excommunicationem, profecto eam incurrit: sed incurritne, si eadem ignorantia graviter culpabili, seu crassa aut supina vel affectata, ignorat ius, fidei scilicet regulam in particulari obligare, utpote sese ad veritatem etiam extendentem errori contrariam, cui ipse adhaeret? quia stricte ipse haereticus non est. — Absolute negandum, quia non sufficit ut peccatum contra eandem virtutem committatur, quae alio et alio modo laedi potest; sed requiritur ut sit illud ipsum peccatum, et quidem consummatum, quod poena, seu ibidem excommunicatione, mulctatur. Iamvero haereticus proprie non est, qui non formaliter despicit regulam fidei; immo, neque

stricte virtualiter, quia et omnia, quae novit revelata, credit et paratus est alia etiam credere, si ei constet esse revelata. Absonum autem videtur ut talis, qui longe a formali haeresi exsistit, etsi peccet et, forte, etiam graviter peccet ex inquisitionis defectu, poena gravissima mulctetur excommunicationis, et specialiter reservata. — Casus e contra ignorantiae iuris non excusantis esset, si quis, sciens volensque, reiiciens veritatem sibi certo revelatam, in tantum desiperet, ut putaret, culpabiliter quidem, fidei virtutem adhuc salvari: quasi scilicet regula fidei eadem permaneret quoad alias veritates, et non potius ratio humana ei substitueretur.

Haeretici insuper intelliguntur, qui internam haeresim exterius, *signo aliquo certo* manifestaverint, manifestatione graviter culpabili, etsi non publice, sed tantum privatim, immo vel nemine sciente. — *Signo*, quia perinde est, sive verbis sive solo facto, haeresim exterius quis prodiderit, puta, si abdita cordium scire, vel futuras hominum liberas actiones, quae soli Deo patent, divinare conatus fuerit, ex. gr. per tabulas semoventes vel crisiacos (magnetizatos) quos vocant. — Immo non tantum positivo signo, dicto scilicet vel facto; sed etiam negativo, seu non dicto vel non facto, quando quis dicere vel facere potest et debet, in illis circumstantiis, in quibus omissio negationi aequivalere merito censetur, ex. gr. si suspectus de haeresi, a legitimo iudice interrogatus quid credat, taceat vel modo evasivo respondeat; aut si quis ad SS. Eucharistiae praesentiam, processionaliter delatae, non modo nullum reverentiae signum ostenderet, puta, caput discooperiendo, (id enim ex naturali inconsideratione vel grossitate fieri potest), sed etiam alios id agentes irrideret, quasi idololatras vel insensatos. — *Certo* tamen, nam, si dubio vel aequivoco, non posset quis proprie dici fidem exterius negare, v. gr. si quis abstineat in festis a Missa audienda, vel a carnibus non abstineat diebus prohibitis, vel templa protestantica ingrediatur servitiorum tempore. — *Graviter culpabili*, si nempe manifestatio est deliberata fidei falsae protestatio, haeresis internae externa confirmatio: qualis non esset, si quis suam haeresim manifestaret ad consilium petendum.

Utrum vero a censura excuset dubium positivum contra

fidem merito dubitari nequit; nam qui ita dubitat haereticus est iuxta can. 1325, § 2: « Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus est ».

11. - *Schismatici:* stricte illi sunt, qui a communione recedunt Romanae Ecclesiae, eius supremam auctoritatem, scil. Sanctae Sedis seu Romani Pontificis primatum, saltem de facto, non agnoscentes et novam sectam constituunt vel iam constitutae adhaerent. Hoc est schisma perfectum, quod hac excommunicatione plectitur: ideoque, etsi gravissime peccet, qui pertinaciter, sive in omnibus, sive in particulari aliqua re, ab obedientia Romano Pontifici debita, se subtrahit, non tamen excommunicatur. *Saltem de facto:* id enim sufficit ad schisma, purum scilicet. Verum schismatici communiter suam defectionem cohonestare conantur et eousque procedunt, ut vel ipsam supremam Pontificis potestatem denegent et hoc ipso haeretici fiant. Raro proinde schisma purum exsistit, sed vel in haeresi fundatur, vel haeresi consummatur. Tunc vero et schismatis et haeresis ratione, seu dupliciter, excommunicantur.

12. - *Nota* tamen, quae de hac eadem excommunicatione in eodem canone § 2 habentur: « Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta, cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus ».

Etiam per voluntariam confessionem: ideoque apostata vel haereticus vel schismaticus necesse non habet ad Apostolicam Sedem recurrere, ut absolvatur, sed potest loci Ordinarium

adire ab eoque, praestitis praestandis, prout in canone, ad fidem catholicam recipi, Ecclesiae reconciliari et ab excommunicatione in foro externo absolvi: idque sufficit ut deinde a peccato absolvi valeat a quocunque confessario; nam, sublata censura, peccatum amplius reservatum non est.

Ordinarii loci: cuiusnam loci? num patrati delicti tantum, vel etiam domicilii, immo et actualis habitationis? — Certo patrati delicti; nam, ratione delicti, delinquens forum sortitur loci illius, in quo delinquit, a quo non eximitur, etiam si discesserit, cum Ordinarius adhuc ius habeat eum citandi et sententiam in eum ferendi. Can. 1566. Et nonnisi patrati delicti, si criminis delatio fit per denuntiationem: huius enim loci, non alius, est forum competens. Can. 1558. — Sed quid in casu spontaneae confessionis: idemne quoad forum tenendum? — Affirmandum, quia canon non distinguit, sed expresse dicit reum forum sortiri, necessario sane, patrati delicti: et nunc, can. 2314, § 2, statuitur Ordinarium loci, si delictum ad eius forum externum deductum fuerit quocunque modo, etiam per spontaneam confessionem, posse in eodem foro resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta, aliisque servatis de iure servandis, absolvere. Cuiusnam loci Ordinarium? Certo patrati delicti, quia nonnisi huius loci Ordinarius absolvere potest, si crimen aliter deferatur quam per spontaneam confessionem. Ergo nihil potest domicilii vel quasi-domicilii eoque minus actualis habitationis Ordinarius: et merito, quia, cum agatur de delicto externo, quod facile cedit in aliorum scandalum et hoc sit reparandum, reus ibi praesens semper esse censetur, ubi deliquit.

Sua auctoritate ordinaria: ergo Ordinarius loci eam potest aliis delegare.

2.

Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis; quod *si intra sex menses a contracta poena completos* suspectus de haeresi *sese non emendaverit, habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius.* Can. 2315.

13. - *Suspectus de haeresi:* non utcunque, sed iuridice, in illis scil. casibus, quibus iure suspicio statuitur. Porro suspectus de haeresi iure is est, « qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258 ». C. 2316. Dicitur:

1° *quoquo modo iuvat:* sive directe, favendo scil. haereticis, qua talibus, ipsique haeresis propagationi: sive indirecte, quidquam scil. agendo vel etiam non agendo, cum quis possit et debeat agere, quo haeretici animosiores reddantur faciliusque haeresim propagent: sive per se sive per alios iuvent.

2° *haeresis propagationem.* Non igitur cuiuscunque falsae doctrinae, vel haeresi proximae; sed doctrinae certo haereticae: quae insuper vi praestiti favoris propagetur, nam propagatio non consistit in morali tantum possibilitate vel in conatu; sed in facto diffusionis. Si effectu non secuto, praescriptum applicaretur huius canonis, interpretatio fieret non modo lata, contra regulam, in odiosis, sed etiam extensiva. Effectu tamen secuto, suspicio de haeresi iure habetur, quocunque modo propagatio facta fuerit: publice vel privatim, palam vel clam, inter multos vel paucos.

3° *sponte et scienter iuvat:* i. e. probe sciens haeresim propagari et suo favore influere in eius propagationem: et nulla coactione, sed libere omnino agens: ideoque ignorantia crassa et supina, non affectata, et metus, etiam levis excusant.

4° *qui communicat in divinis cum haereticis.* Non enim communicatio in civilibus, immo neque necessario communicatio passiva in divinis haeresis ingerit suspicionem, sed communicatio tantum activa. Ita can. 1258, cuius praescriptum citatur: « Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit ».

Sunt insuper in iure quidam casus specifici, in quibus sive propter favorem, qui tali vel tali modo haereticis haeresique praestatur, sive propter aliud motivum, suspicio diserte sta-

tuitur. Ita suspecti de haeresi sunt, qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam: qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt: qui (parentes vel parentum locum tenentes) liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt, c. 2319, § 1, 2°, 3°, 4°; § 2. — Item qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, can. 2320. — Omnes et singuli, cuiuscunque dignitatis, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, can. 2332. — Qui obdurato animo per annum insorduerit in censura excommunicationis, can. 2340, § 1. — Omnes, etiam Episcopi, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint, aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, can. 2371.

14. - *Qui monitus causam suspicionis non removeat.* — Monitionem non sufficere paternam, sed requiri iuridicam, per se patet. Publica vel secreta esse potest pro rerum et personarum adiunctis; sed, etsi secreto facta fuerit, de eadem semper constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando. Monitio publica fieri debet coram notario aut duobus testibus vel per epistolam, ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet. Can. 2309, § 1, § 2, § 5. — Causa vero suspicionis removeri debet, etiamsi inculpabiliter omnino suspicioni quis causam dederit seu recta intentione egerit et nullatenus peccaverit: nam ipsa lege naturali non potest monitus in actione perseverare vel obiective mala vel mali speciem ita praeseferente ut merito exinde ipse veniat in haeresis suspicionem. — Alio vel alio modo causa removenda pro diversa eius natura et diverso motivo, ex quo oritur suspicio.

15. - *Si intra sex menses a contracta poena completos* etc.: computandos scil. de momento in momentum et prout sunt in calendario; ita nempe ut eadem mensis die et hora, post sex calendarios menses, non emendatus haereticorum poenis, ideoque etiam excommunicationi subiiciatur, etsi haereticus

proprie non sit. Can. 34, § 2 et § 3, 1°. — *A contracta poena:* ergo a tempore sententiae latae, non vero a tempore sententiae intimatae et cognitae. Cum vero pro clericis statuatur, praeter prohibitionem ab actibus legitimis, suspensio a divinis, post aliam monitionem, ferenda, quaeri potest, num sex menses pro ipsis decurrere incipiant a contracta poena prohibitionis vel suspensionis? — Et prohibitionis, videtur; id enim conformius est tenori huius canonis et subiectae materiae, quia suspensione poena clericorum aggravatur tantum propter non purgatam haeresis suspicionem. Num clericis, qui ideo etiam suspenduntur post aliam monitionem, quia, cum strictius teneantur suspicionem removere, vehementiorem, differendo, ingerunt haeresis suspicionem, conceditur prae laicis privilegium? Attamen, cum in clericos severius iam animadvertatur addita suspensione, quae distincta et gravior poena est, et versemur in odiosis, contendere nolumus, si alii aliter sentiant.

Habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius. — Ideo nulla opus est sententia iudicis: ipso facto quasi haereticus, etsi forte haereticus non sit, incurrit excommunicationem.

3.

..... *opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes.* Can. 2318, § 1.

16. - *Opere publici iuris facto:* ergo non sufficit sola impressio, etsi fiat, ut communiter fit, intentione librum in vulgus diffundendi; sed requiritur ut liber impressus venalis exponatur. Etenim tunc tantum, quum venalis exponitur et a quolibet emi potest, opus publici fit iuris; cfr. can. 1385, § 2; non antea, neque necessario postea, seu opere iam diffuso; nam diffusio actualis est res facti, non iuris. Et insuper quot exemplaria diffundi deberent, ut opus merito dici posset publici iuris factum?

Editores. — Editor est qui libri impressionem, intuitu divulgationis, in se suscipit et suo nomine peragendam curat.

Editor igitur non necessario est auctor vel officinae typographicae dominus aut director, qui proinde, nisi editores etiam sint, huic censurae non subiacent. Et certe edentes non sunt typographi subalterni, etsi ad impressionem immediate concurrant. Nonnisi edentes, non scriptores vel imprimentes, hanc censuram incurrunt.

Librorum. — Liber est volumen typis impressum, non exiguae omnino molis, nisi typorum extrema parvitate materia ibidem esset congesta ordinarii libri, aliqua constans organica unitate seu formali partium cohaesione, ratione obiecti seu materiae. — Ideo non comprehenduntur manuscripta, quantumcunque copiae multiplicentur, neque opera lithographice aut quovis alio modo, praeterquam typis, impressa. Neque folia, ne ab ipso quidem libro separata, diaria, ephemerides, fasciculi publicationis periodicae seorsim sumpti, S. O. 21 apr. 1880 (in unum enim collecti et volumen efformantes comprehenduntur, S. O. 13 ian. 1892), opusculi etc. Neque Anthologiae seu Chrestomatiae, in quibus excerpta de diversis materiis vel etiam de una eademque iuxtaponuntur ad artem docendam dicendi vel progressum (aut regressum) humanae mentis demonstrandum in aliquo cognitionis ordine. Verum si de eadem materia vel subiecto excerpta congererentur ad thesim confirmandam manifesto rationalisticam, haereticam vel schismaticam, opus sua morali unitate sufficienter constaret et sub sanctione caderet hujus canonis.

Apostatarum, haereticorum et schismaticorum. — Cf. sub num. praec.

Qui (libri) *apostasiam, haeresim, schisma propugnant.* — Non sufficit igitur ad censuram incurrendam ut libri edantur apostatarum etc., licet mali et prohibiti, nisi in eisdem apostasia etc., propugnetur. Propugnare non est apostasiam etc., tantum continere vel etiam obiter defendere, sed insuper patrocinium data opera et quasi pro viribus suscipere.

Attamen requirituine ut libri auctor iam uti apostata etc., notus fuerit vel sufficit ut talem sese prodat ipso libro? Videtur hoc aliud sufficere, quia profecto auctor apostasiam etc., libro propugnans iam est, et publice quidem, apostata etc. Verum canonis textus potius suadet libros apostasiam etc.,

propugnantes, quorum editio sub censura prohibetur, illos esse qui ab apostatis etc., consummata iam apostasia etc., procedunt. Liber auctoris catholici, qui ex. gr. haeresim propugnaret, non stricte omnino diceretur liber haeretici; praesertim si auctor deinde scripta retractet et laudabiliter sese submittat. Fieret tamen liber haeretici, sub censura contra edentes prohibiti, si auctor contra Ecclesiae monentis et comminantis et punientis auctoritatem pertinaciter in sua doctrina perseveraret.

Itemque eosdem libros, seu de quibus supra.

Aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos. Apostolicae Litterae eae sunt, quae a Romano Pontifice immediate procedunt, seu eius nomine et auctoritate, sive in forma Brevis, sive Bullae, sive Encyclicae, sive alia qualibet. Ergo non aliae. — Nominatim vero prohibiti dicuntur libri, quorum proprius titulus in eisdem Litteris sit expressus. Ergo non alii, etiam prohibiti per huiusmodi Litteras, sed generaliter.

Theologi communiter id intelligunt de prohibitione sub poena excommunicationis. Sed cuiusnam excommunicationis: specialiter reservatae? Si ita, inutilis omnino evaderet hic articulus, quo eadem censura constituitur. Num simpliciter reservatae? Sed, si Summus Pontifex sibi simpliciter reservat, specialem reservationem adimere censetur. Ergone excommunicationis, cui nulla addatur reservatio? Sed ex quo tandem iure id deducitur? Quod de facto ita sit, videlicet, si qui libri nominatim prohibeantur, simul legentes etc., excommunicentur, conceditur: sed quod prohibitio sub poena excommunicationis conditio sit sine qua non legentes etc. huius canonis excommunicationem incurrant, non suadetur. Sufficit ut libri nominatim sint prohibiti per Litteras Apostolicas: ius nihil aliud exigit.

17. - *Defendentes:* tales sunt, qui vel verbis vel scriptis vel facto, sive libri doctrinam, sive librum ipsum materialem, tuentur; ut, puta, si quis suadere conetur doctrinam esse veram, vel librum non esse prohibitione dignum, vel illum occultat, ne tradatur cui tradendum est aut comburatur, vel

id vi vel fraude impedit. At non comprehenditur hac censura, ut notant Sanchez et Palaus, qui doctrinam bonam et veram, quae cum falsa et prava in libro contineatur, approbat et laudat, dum tamen librum ipsum non censeatur approbare; nec etiam qui stylum, eloquentiam, phrasim, ingenium laudat, dum non arguat laudem et approbationem libri. D'Annibale, *Comment. in Const.* « *Apostolicae Sedis* », n. 40.

18. - *Aut scienter sine debita licentia legentes.* Scienter, id est, cum cognitione librum esse apostatae vel haeretici vel schismatici, apostasiam etc. propugnantis, aut esse nominatim prohibitum per Litteras Apostolicas eundemque legere (vel retinere) esse prohibitum sub poena censurae. Ideo ignorantia, non quidem affectata, excusat. Haec clausula aeque refertur, uti patet, ad legentes et retinentes. — Legentes sunt modo humano legentes, intelligendo scilicet quod ore vel tantum oculis, librum perlustrando, legunt. Neque legentes sunt, qui lectionem audiunt ab alio factam: immo neque qui partem libri memoriter recitant, quia id sub lectionis nomine stricte non venit. — Cumque excommunicatione nonnisi grave peccatum puniatur, legentes intelligendum est in quantitate notabili et sufficiente ad peccatum mortale. Quanam? Non facile determinatur: sed videtur hoc a materia lectionis dependere. Nam, si haec est indifferens, potest lectio protrahi etiam per plures paginas, quin contrahatur excommunicatio: e contra in materia haeretica sufficere potest etiam paucarum linearum lectio, quia magnum adest periculum perversionis, quod Ecclesia removere intendit.

Licentia ad libros legendos et retinendos iure vel Apostolicae Sedis decreto prohibitos impetranda a Congregatione S. Officii, cuius est doctrinam fidei et morum tutari. Can. 247, § 4. Eximuntur S. R. E. Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, qui, adhibitis necessariis cautelis, ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur. Can. 1401. — Illis vero, qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, usus iure permittitur editionum textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatarum:

necnon eiusdem versionum in quamvis linguam ab eisdem acatholicis vel ab aliis sine Sanctae Sedis approbatione, saltem mediata seu per Episcopos, sub quorum vigilantia et cum annotationibus praecipue excerptis a sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus edantur, confectarum vel editarum. Cann. 1391; 1399, 1°; 1400. — Licentia vero apostolica legendi et retinendi libros proscriptos non includit etiam libros quoslibet a proprio Ordinario proscriptos, nisi in apostolico indulto expressa facultas concedatur legendi et retinendi libros a quibuslibet damnatos: et grave insuper secumfert praeceptum libros prohibitos ita custodiendi ut ii ad aliorum manus non perveniant. Can 1403, § 1, § 2. — Ordinarii tandem, nisi generalem a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis permittendi, cum delectu tamen et iusta ac rationabili causa, ut libros proscriptos retineant ac legant, hanc licentiam eisdem concedere non valent, quoad libros ipso iure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, nisi pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentibus. Can. 1402, § 1, § 2.

19. - *Vel retinentes:* sunt illi, qui librum apud se habent, quocunque titulo, non tantum dominii; immo vel nullo titulo, siquidem materiale sufficit factum possessionis. Id tamen est intelligendum de retentione non una tantum vel altera die; eadem enim ratio est pro tempore ac pro materia; sed tempore diuturno: quod non facile determinatur. Verum videtur ab hac censura excusari, qui librum diutius retinet, opportunitatem exspectans illum tradendi Superiori vel alii licentiam habenti. Et certo excusatur qui librum ex commissione licentiam habentis emit vel custodit, vel ad tempus in sua officina retinet ad ligandum; haec enim annexa sunt facultati, quae alicui fit, libros huiusmodi legendi. Sed non excusaretur bibliopola, qui eosdem libros apud se retineret, ut clientibus satisfiat, qui licentia muniuntur: bibliopola facultate indiget libros prohibitos retinendi.

4.

Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si Missae celebrationem simulaverit, aut sacramentalem confessionem exceperit..... Can. 2322, 1°.

Sacerdotalis ordo requiritur ad Missam celebrandam et sacramentales confessiones excipiendas, sine quo consecratio, absolutio est invalida. Sane ad alia etiam Sacramenta, exceptis baptismo et matrimonio, ordo sacerdotalis, vel etiam episcopalis, exigitur: sed censura, haec saltem, ad grave limitatur crimen contra Religionem ab eo commissum, qui non sacerdos, Missam celebrando, SS. Eucharistiam consecrandam simulet, vel, confessiones excipiendo, munus confessarii; sive quia, prae aliis contra Sacramenta, crimen hoc non est rarissimum; sive etiam, quia fideles in re gravissima sacrilege deciperentur, scilicet quoad praecipuum cultus obiectum, cum inductione in materialem idololatriam, vel quoad remissionem peccatorum, cum pernicie animarum.

20. - *Ad ordinem sacerdotalem non promotus:* sive clericus sive laicus. Et sane in eodem canone tum clericus tum laicus aliis insuper poenis mulctatur.

Num etiam invalide promotus, si nempe ordinatio sacerdotalis quocunque modo fuerit nulla? — Invalide promotus reapse, seu effective, non est promotus; ideoque, si certo sciat se non esse valide ordinatum, et tamen celebret vel confessiones excipiat, excommunicationem non effugit.

Ergo si promotus, ideoque sacerdos, in Missa consecrationem simularet, etsi gravissime peccaret, tamen excommunicationem non incurreret.

Si Missae celebrationem simulaverit. Et simulat, quoties sese gerit ut sacerdos celebrans, ita, scilicet, ut fideles in errorem inducantur, etsi forte non consecret, seu, melius, verba consecrationis non pronuntiet, dummodo videatur consecrare: nam, sive consecrationis verba proferat, sive alia, sive nulla, perinde est: simulatio manet.

21. - *Aut sacramentalem confessionem exceperit.* Sacramentalis confessio est, quae fit in ordine ad absolutionem. Neque requiritur absolutio; nam non dicitur absolvens, sed excipiens: et profecto, eoque magis, censuram incurret, si absolvat. Confessio vero facta in ordine ad absolutionem, semper est sacramentalis ubicunque et cuicunque fiat, si poenitens bona fide agit, sive nesciat eum non esse sacerdotem, sive etiam sciat, sed putet ex ignorantia eum posse absolvere.

5.

Omnes et singuli cuiuscunque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes..... Can. 2332.

22. - *Omnes et singuli* etc. Censura haec quoad personas est universalis, eosque etiam complectens, qui ratione dignitatis et auctoritatis alias exciperentur, uti Reges, Episcopi vel Cardinales. Notum est enim ex can. 2227 in istos poenis animadverti non posse nisi a Romano Pontifice; et S. R. E. Cardinales, nisi expresse nominentur, poenis non subiacere et censuris iure pontificio latis; Episcopos vero subiici quidem excommunicationi, non tamen suspensioni et interdicto, iure latis, nisi expresse nominentur.

Quia tamen excommunicationis censura in personas non fertur morales, istae interdicto specialiter reservato in eodem canone subiiciuntur.

A legibus, decretis, mandatis, circa nempe res spirituales vel spiritualibus adnexas. Porro leges ordinationes sunt generales et per se perpetuae: decreta ordinationes item generales, sed ratione specialium circumstantiarum factae, ideoque de se non perpetuae; mandata ordinationes particulares ad modum praecepti, uni vel aliquibus intimatae, quae proinde exsecutione cessant. Mandato accedit sententia etiam iudicis.

Romani Pontificis: scopus enim huius censurae est Primatus iura tueri Romani Pontificis, quae profecto violarentur schismatica eiusmodi appellatione. Necesse igitur est ut leges, decreta,

mandata *immediate* a Romano Pontifice procedant; vel si ab aliis, ex. gr. a Sacris Congregationibus, Tribunalibus vel Officiis Romanae Curiae, *de expresso* seu *speciali mandato* vel sub approbatione in *forma specifica* Romani Pontificis.

Pro tempore exsistentis: id est, adhuc viventis, nam Romanus Pontifex defunctus neque pro tempore neque in tempore amplius exsistit.

Ad Universale Concilium: ergo, si ad particulare Concilium vel provinciale vel generale, etsi adhuc maior haberetur iniuria, vel ad futurum Romanum Pontificem, appellatio fieret, censura non contraheretur: quae tamen contrahitur, sive ad Concilium futurum, sive ad praesens appelletur.

Appellantes: de facto scilicet appellantes, seu causam a Romano Pontifice ad Universale Concilium, tanquam iudicem superiorem, deferentes: statimque a causa delata, id enim est appellare. Et nonnisi appellantes censura mulctantur; nam alii, quorum consilio, auxilio vel favore appelletur, neque sunt, neque proprie dici possunt, appellantes. Neque obstat canon 2231, nam confer lib. I, de Censuris in genere, num. **29.**

Igitur hac censura crimen punitur contra divinum Primatus ius Romani Pontificis, per hoc commissum, quod alia superior auctoritas in Ecclesia praetendatur exsistere, auctoritas nimirum Concilii Oecumenici, cui vel Romanus Pontifex subiiciatur; dum e contra ipsius Oecumenici Concilii auctoritas a Romano Pontifice derivatur, tanquam a capite, in quo eadem originaliter et plenissime exsistit, et de cuius plenitudine Episcopi, tum dispersi, tum in unum congregati, accipiunt. Talis praetextus sese prodit appellatione, de qua in canone: nam appellare est « ab inferiore iudice ad superiorem provocare ». Can. 1879. Quum vero haec specie schismatica appellatio sapiat haeresim, merito appellantes eodem can. 2332 suspecti de haeresi habentur: et haereticus sane esset, duplicique excommunicatione teneretur, qui ideo appellaret, quia crederet idque satis exprimeret, Romanum Pontificem non habere in Ecclesia supremam et infallibilem auctoritatem. Can. 2314.

6.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta, sive alios laedentes vel perterrefacientes..... Can. 2333.

23. - *Recurrentes:* quicunque et quocunque modo, ad normam tamen iuris: nam de recursu agitur ad laicam potestatem, qua talem, non vero ad personam in potestate constitutam, tanquam ad amicum vel privatum, ut precibus moveatur ad impediendum etc. Recurrentes igitur sunt supplicem libellum dantes, citantes, appellantes etc.

Ad laicam potestatem: quamcunque, sive superiorem sive inferiorem, sive iudicialem sive administrativam, dummodo iure possit, civili sane, impedire.

Ad impediendas etc.: si reipsa quidem impediant. Nam, cum sit recursus ad impediendum, de opere intelligi debet consummato, ideoque effectu secuto. Id tamen alii negant, quia non impedientes, sed recurrentes condemnantur, ideoque volunt propter solum recursum eos poena mulctari.

Litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta. Litteras, quacunque forma exaratas. *Acta quaelibet*, sive gratiae, sive iustitiae, sive de negotio spirituali, sive de negotio temporali, iuris tamen ecclesiastici. *A Sede Apostolica*, sive immediate sive mediate, nempe per eius organa seu SS. Congregationes, Tribunalia, Officia Romanae Curiae, S. O. 13 ian. 1892. Non enim dicitur a Romano Pontifice; sed a Sede Apostolica: porro quae Romae geruntur de mandato Romani Pontificis acta sunt Apostolicae Sedis. *Vel ab eiusdem Legatis:* nam Legati, can. 266 et 267, Romanum Pontificem repraesentant, eiusque auctoritate, suo munere funguntur.

Profecta. Igitur impedientes ne promulgentur vel exsecutioni mandentur; ideo impedientes ne proficiscantur, puta, ne impetrentur vel ne expediantur, excommunicationi non subiiciuntur.

24. - *Eorumve promulgationem:* consueto scilicet modo et forma. Ergo non puniuntur qui tantum evulgationem impediunt, quae facti potius res est, non iuris.

Vel exsecutionem: seu quidquid est necessarium ut litterae actave apostolica effectum suum sortiantur atque ii, ad quos pertinent, uti illis possint.

Prohibentes: publica nempe auctoritate; nam videtur id intelligendum de prohibitione, quae est ex recursu, de quo antea, seu ad publicam auctoritatem. Alii tamen aliter sentiunt, quia lex non distinguit. Et effective prohibentes, secus enim non prohibentes essent, sed conantes prohibere.

Directe vel indirecte: vel ipsam videlicet promulgationem aut exsecutionem prohibendo, vel apponendo obstacula, quibus ab opere ii impediuntur, quorum est publicationem vel exsecutionem peragere.

25. - *Aut eorum causa:* litterarum scilicet vel actorum, de quibus supra.

Sive eos, ad quos pertinent litterae vel acta: illos nempe, pro quibus data sunt et quorum interest publicari vel exsecutioni mandari.

Sive alios: non quoscunque, sed illos, ad quos praedicta, litterae vel acta, quocunque modo referuntur: scilicet in publicandis vel exsequendis munus, ut agentes, procuratores, notarii, exsecutores; vel interesse, ut consanguinei, affines, familiares, habent. Nam *eorum causa*, sive eos etc., sive alios laedentes vel perterrefacientes excommunicantur.

Laedentes, seu damnum inferentes et quidem, ut videtur, in bonis corporis; nam stricte et proprie nonnisi corpus laedi dicitur. Oportet autem laesionem esse gravem, quia ipsa laesio sub excommunicatione hic prohibetur, etsi legis finis sit litterarum et actorum, de quibus supra, vim tueri: excommunicatio vero supponit culpam gravem.

26. - *Perterrefacientes*, seu damnum admodum grave in bonis quibuscunque minitantes: nam perterrefacere est valde grave metum incutere; gravitas vero metus per se dependet a damni gravitate, quod instat. Laedentes et perterrefacientes

videntur excommunicationem incurrere, etiam effectu impediendi non secuto. Alii tamen aliter opinantur.

Superfluum est addere excommunicationem ab hisce omnibus incurri, non modo si ex contemptu agant Apostolicae Sedis, sed quacunque ex causa, etiam utilitatis obtinendae vel damni avertendi, vel praetextu litteras etc., esse subreptitias, nisi tales esse probentur.

7.

1° *Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt;*

2° *Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem.* Can. 2334.

27. - *Qui leges, mandata vel decreta edunt.* Leges nonnisi a suprema auctoritate procedunt: mandata et decreta etiam ab auctoritate inferiori. Cf. praec. sub num. **5**. Etsi eiusmodi mandata et decreta ab inferiori potestate edantur ad legum superioris exsecutionem, excommunicatio contrahitur.

Contra libertatem aut iura Ecclesiae, nempe universalis. « Haec verba latissime patent et omne prorsus feriunt legum et decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticae, sive iurisdictionis sive ordinis, sed quodvis aliud ius intercipitur, restringitur, perturbatur, ut ius docendi, promovendi ad beneficia, publicas supplicationes extra templum vel noctu obeundi, ecclesias, beneficia, pia sodalitia erigendi, conferendi beneficia sine ullo interventu laicae potestatis: immo et iura, quae Ecclesiae, uti societati competunt, ut ius acquirendi actibus ultimae voluntatis vel inter vivos, alienandi, locandi bona sua ultra novennium etc. Huc spectat lex de regio *Placet* et regio *Exsequatur* ». Ballerini-Palmieri, *Opus Theol. Mor.*, vol. VII, num. 431.

Edunt: ideoque legum, decretorum, mandatorum auctores, non alii, ex. gr. praecones, qui evulgant, tabelliones, qui in acta referunt vel acta conficiunt: immo neque magistrati, qui ex eis ius dicunt, ex officio scilicet mere ius dicunt, etsi iuris

dictio decreto vel mandato aequivaleat, ut sententia iudicis; nam non est confundenda authentica iuris interpretatio cum aliis ordinationibus in forma decreti vel mandati, quibus urgetur, vel ab inferiori auctoritate, iuris observantia. Cf. supra.

Quoniam vero iuxta guberniorum formam leges ferri possunt populi suffragio vel deputatorum populum repraesentantium vel optimatum, hac censura tenentur, ex communi sententia, quotquot eis suffragati saltem efficaciter fuerint et statim ac fuerint promulgatae.

Ita Em. Card. D'Annibale in *Comm. Const.* «Apostol. Sedis», num. 69: «Hanc excommunicationem contrahunt edentes huiusmodi leges vel decreta, auctoritate laica, sive laici sive clerici: et, si suffragio v. g. populi, senatus etc., rogatae sunt, quotquot ei suffragati fuerint. Et statim ac fuerint promulgatae contrahitur». Concordant Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, vol. II, n. 1170 aliique communiter. Videtur tamen haec doctrina non aeque ac pondere auctoritatis fulciri rationum momentis. Sane, si leges instituuntur cum promulgantur, can. 8, § 1, non modo leges ecclesiasticae, sed et civiles, quia promulgatio est de essentia legis; ideoque ante promulgationem nihil sunt in esse legis, non apparet quomodo suffragantes possint proprie dici legis auctores eoque minus edentes. Promulgatio vero pertinet, non ad potestatem legiferam, sed exsecutivam. Insuper non singuli suffragantes seorsim accepti leges condunt, sed prout morale corpus constituunt: non Petrus vel Paulus legiferat, sed Congressus, puta, legiferat. Porro censura, cum sit poena medicinalis, in personam non fertur moralem.

Attamen suffragantes, cum iunctim legem sane condant, quae in suo esse formali per promulgationem deinde constituitur, sunt profecto singuli efficaces cooperatores: et uti tales, non videntur posse, can. 2331, a censura excusari: ii nempe qui suffragium certo efficax tulerunt. Cf. lib. I, num. **29**.

28. - *Qui impediunt;* reipsa nempe: ergo non solummodo conantes.

Directe vel indirecte. (Vide inferius: *ad hoc recurrentes*).

Exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. Iurisdictio ecclesiastica potestas est regendi et gubernandi subditos, quae a Chri-

sto per eius Vicarium Romanum Pontificem clericis, qua clerici sunt, derivatur. Iurisdictionis exercitium impedire est ipsi personae iurisdictione insignitae eamque exercere volenti vim inferre, ne ea utatur, ne scilicet ea uti incipiat vel in usu pergat.

Sive interni sive externi fori. Iurisdictio ecclesiastica alia externi, alia interni fori est, ordinaria vel delegata. Ad fori externi iurisdictionem pertinet edere leges et mandata, iudicia exercere, poenas infligere, exsequi sententias latas, conferre beneficia, deputare ad officia ecclesiastica, praedicatores mittere, visitare dioecesim per se vel per alium, coadunare synodum, atque ea, quae sunt ordinis peragenda committere etc. Haecque, uti patet, ab iis distinguuntur, quae sunt potestatis ordinis, cuiusmodi sunt sacra obire, Sacramenta ministrare, personis vel rebus benedicere vel eas consecrare; necnon ab iis quae magis sunt officii, uti docere, praedicare, tueri fidem, corrigere mores etc. — Ad iurisdictionem interni fori pertinent, non ea tantum, quae in foro sacramentali peraguntur, sed ea etiam, quae cum foro sacramentali quoquo modo connectuntur et expediuntur in foro conscientiae: cuiusmodi est in primis ea, qua utitur S. Poenitentiaria.

Ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem. Haec verba manifesto ad omnia referuntur, quae praecedunt: ideoque non sufficit utcunque impedire, v. gr. per vim illatam vel metum incussum immediate personae, habenti iurisdictionem vel aliis ei sanguine vel officio coniunctis, quo is ab iurisdictionis exercitio invitus prohibeatur: sed requiritur ut iurisdictionis exercitium per recursum impediatur ad laicalem potestatem, quaecunque ea sit, etsi non propria iurisdictione, sed administratione tantum gaudeat in societate, ex. gr. syndicum loci.

Impediri vero potest iurisdictio per huiusmodi recursum *directe vel indirecte.* Directe quidem, si ad hunc finem vis brachii saecularis contra ipsam personam invocetur iurisdictione insignitam: indirecte, si contra alios, puta, prohibendo ab exsecutione muneris vel mandati, vel in aliis rebus, puta, documenta destruendo.

8.

Qui « contra praescriptum can. 120 *ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium... ».* Can. 2341.

29. - *Contra praescriptum can.* 120, qui statuit Patres Cardinales, Legatos Sedis Apostolicae, Episcopos etiam titulares, Abbates vel Praelatos *nullius*, supremos religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri non posse, sine venia Sedis Apostolicae: ceteros vero privilegio fori gaudentes, sine licentia Ordinarii loci, in quo causa peragitur.

Dubium exsurgit utrum illud « ob negotia ad ipsorum munus pertinentia » ad omnes referatur, tum S. R. E. Cardinales, tum Legatos, tum Officiales maiores Romanae Curiae, vel ad hos tantum, scil. Officiales maiores Romanae Curiae. Prius videretur suaderi, ipso can. 120, ratione commatis, quo illud ab immediate praecedentibus, nimirum Officiales maiores Romanae Curiae, separatur: posterius vero praesenti can. 2341, in quo comma non habetur et per modum unius ponitur Officialibus maioribus Curiae Romanae ob negotia etc. Haec alia interpretatio est omnino retinenda. Sane non est verisimile S. R. E. Cardinales et Legatos Apostolicae Sedis, sine venia apostolica, conveniri posse apud iudicem laicum, semper ac non agitur de negotiis ad eorum munus pertinentibus: et suadetur etiam ex tenore can. 120, in quo Episcopi etiam titulares nominantur; ii enim non videntur negotia habere sui muneris, propter quae ad forum laicale trahi possint. — Sed insuper, si excommunicationem incurrit, eodem can. 2341, simpliciter (vel etiam specialiter reservatam) qui alios iam nominatos can. 120, utcunque, sine venia Apostolicae Sedis, trahit ad iudicem laicum, scilicet in aliis etiam quam in negotiis ad ipsorum munus pertinentibus, evidens est hoc incisum

« ob negotia etc. » ad Officiales tantum referri maiores Romanae Curiae. Specialis igitur exemptio a foro saeculari, quae non semper illis ratione dignitatis competit hierarchicae (neque enim necessario Cardinales sunt vel Episcopi), merito eisdem collata est ratione et intuitu muneris. — Non tamen duplicem, sed unam tantum incurret excommunicationem, si quis Officialem maiorem, dignitate auctum ex. gr. episcopali, ob negotia sui muneris apud iudicem laicum conveniret.

Qui ausus fuerit: sive laicus sive clericus. Ergo ignorantia, dummodo non sit affectata, et vis vel metus, quo voluntarium minuitur, excusant.

Ad iudicem laicum, quemcunque et in quacunque causa, sive criminali sive civili. Cf. can. 120, § 1. — Iudicemne etiam conciliatorem (*the justice of peace*)? — Et profecto, si hic quoque *debeat* vel *possit* clerico intimare, ideoque eum cogere, ut coram se in iudicio compareat.

Trahere seu invitum cogere et quidem uti reum, criminis scil. vel rei. Ergo, si sponte ipsemet foro laicali sese submittat, vel, si non uti reus, sed uti testis, peritus citetur, actor censuram non contrahit.

Et trahentes quidem sunt omnes, etiam privati, qui iuridice ad iudicem laicum personas deferunt, de quibus in c. 120: ideoque sententia veteri iuri Const. « *Apostolicae Sedis* » innixa, quod ita enuntiabatur: *Cogentes trahere*, et firmata etiam declaratione S. Officii, die 23 ian. 1886, scilicet excommunicationi non subiici nisi legislatores et alias auctoritates cogentes, est obsoleta. Sed mirum sane, quare haec interpretatio tunc ita praevaluit. Nonne vel in veteri iure contra legislatores, vel alias auctoritates, satis provisum erat excommunicatione, item specialiter reservata, in edentes leges, decreta et mandata contra libertatem aut iura Ecclesiae? Et nonne qui iuridice denuntiat, vel privatus quilibet, iudicem moraliter cogit? Ideo merito iam S. Pontifex Pius X, Motu proprio « *Quantavis diligentia* » die 9 oct. 1911, statuit atque edixit: « quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares foeminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, *eos etiam omnes* in

excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere ».

Aliquem ex S. R. E. Cardinalibus etc.: quorum dignitatem speciali munimine tutam esse voluit S. Pontifex.

Legatis Sedis Apostolicae: omnes scilicet, sive *a latere*, sive qui mittuntur sub nomine *Nuntii aut Internuntii*, vel *Delegati Apostolici:* ii enim omnes sub nomine veniunt Legatorum. Cann. 265; 267. Neque strictius interpretari fas est, tum quia textus iuris non sinit, tum quia haec specialis immunitas Legatis concessa decus est et favor personae, ideoque late interpretanda.

Vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia etc. Officiales maiores sunt qui eliguntur motu proprio R. Pontificis et vel in Congregationibus, vel in Tribunalibus, vel in Officiis potiores partes agunt prae aliis, qui secundarii sunt ordinis et per examen ordinarie eliguntur. Quinam sint accipitur ex organica Romanae Curiae constitutione. Cf. Ord. servand. in Romana Curia. Normae pecul. de speciali mandato SS. D. Pii Papae X, die 21 sept. 1908 edit. Cap. VII seqq. — Et, certo, Officiales maiores sunt in *Congregationibus:* praeter Praelatos a secretis et Subsecretarios, Assessores, Commissarii, Substituti: in *Tribunalibus*, Regentes et Substituti, (si forte S. Poenitentiariae excipiatur Substitutus), Auditor SS.^{mi} et S. Rotae Auditores: in *Officiis*, item Regentes et Substituti, Vice-Camerarius S. R. E., Auditor Generalis Rev. Camerae Apostolicae et Cancellarius Brevium Apostolicorum. — Ad hanc vero excommunicationem incurrendam necesse est ut isti Officiales maiores ad forum trahantur saeculare ob negotia etc.; nam ratione officii, ut iam monuimus, eisdem concessa est specialis immunitas; ideoque, si non ob sui muneris negotia, sed ob alia, ad iudicem trahantur laicum, non haec sed alia excommunicatio contrahitur, qua violatio immunitatis a foro saeculari punitur. Cf. n. **44.**

Vel Ordinariorum proprium, et merito, quia Ordinarius respectu sui subditi, auctoritate praeeminet: unde actio subditi eum foro saeculari subiicientis specialem prae se fert irreverentiam et indignitatem. — Ordinarium dicitur, non Episcopum. Ordinarius autem proprius Praelatus est, cui quis

subiicitur, ordinariam habens in toto territorio iurisdictionem: hinc non modo Episcopus residentialis, sed etiam Abbas et Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus: itemque ii, qui, praedictis deficientibus, ex iuris praescripto vel ex probatis constitutionibus, succedunt in regimen (ex. gr. Vicarii Capitulares); pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis. Can. 198, § 1.

Cessaret tamen excommunicatio et iniuria, si praedictae personae ad iudicem laicum traherentur cum venia Apostolicae Sedis: Romani Pontificis videlicet immediate quoad S. R. E. Cardinales et Apostolicae Sedis Legatos; S. Congreg. Concistorialis quoad Episcopos, Abbates et Praelatos *nullius;* S. Congreg. Propagandae Fidei quoad Vicarios et Praefectos Apostolicos vel etiam Episcopos residentiales in illis regionibus, quae, utpote aliquid inchoatum adhuc praeseferentes, huic Congregationi subiiciuntur, can. 252, § 3; Congregationis, Tribunalis vel Officii, cuius sunt, quoad Officiales maiores Romanae Curiae ob negotia ad ipsorum munus pertinentia; S. Congreg. negotiis religiosorum sodalium praepositae quoad supremos religionum iuris pontificii Superiores; supremi religionis clericalis exemptae Superioris quoad Superiores maiores. — Verum Ordinarius proprius est etiam, ut iam ex can. retulimus supra citato 198, § 1, Administrator Apostolicus vel Vicarius Capitularis vel Generalis. Cuiusnam venia possunt isti ad tribunal trahi laicale? nam in can. 120 ne implicite quidem nominantur. — Profecto Sanctae Sedis per S. Congreg. Concist. si agitur de Administratore Apostolico vel Vicario Capitulari: nam huius S. Congreg. est Administratores Apostolicos etiam proponere, et tum ii, saltem sede vacante, tum Vicarii Capitulares locum tenent Episcopi. Idem verius dicendum de Vicario Generali, quia non videtur Episcopi venia sufficere, quocum ipse censetur iuridice unam personam constituere.

9.

Qui (violentas manus iniecerit) *in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis..... Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum*, ... Can. 2343, § 2, 1°; § 3.

30. - *Qui* (*violentas manus iniecerit*) *in personam* etc. Cf. iam dicta de secunda excommunicatione primae seriei, de eadem nempe iniuria in personam Romani Pontificis, n. 4. Quod hic sub excommunicatione iterum prohibetur est voluntarium sacrilegium personale, per actionem graviter iniuriosam, qua ipsa persona violatur, vel in corpore, vel in dignitate, vel in libertate. *Sacrilegium:* ergo si sacrilegium non sit, puta, ex ignorantia, non graviter culpabili, conditionis personae; eoque magis si neque peccatum sit, ut si quis agat in legitimam sui defensionem, neque censura est. Sed ignorantia graviter culpabilis, cum verba canonis praeter violentam manuum iniectionem, voluntariam sane, nihil amplius requirant, certo non excusat. *Voluntarium:* voluntate nempe sufficienti ad peccatum mortale et voluntarium formaliter seu in ratione sacrilegii talis, i. e. contra personam talis dignitatis: ideoque error, vel invincibilis, circa personam, cum sit mere materialis, v. gr. si quis putans violentiam exercere in Episcopum suae dioecesis, alium Episcopum, de quo non cogitat nolletque, impetit, a censura non excusat. Attamen alii contradicunt, quia actio, qua alius laeditur, est quoad istum mere casualis et involuntaria. Nolumus contendere. Per *actionem:* ergo verba, etiam graviter contumeliosa, non sufficiunt: Graviter *iniuriosam*, etsi in se vel levissima sit. Iniuria vero non cessat, etsi Praelatus consentiat, quando actio in dedecus cedit totius status seu ordinis; neque enim Praelatus iuridice consentiret, cum non possit ordinis seu status privilegiis renuntiare. Secus autem, vel ipso invito, si actio esset quidem personae iniuriosa, non tamen statui, ex. gr. si Praelatum turpiter cum uxore conversantem, quod Deus avertat, maritus percuteret. Qua *ipsa persona violatur:* ergo non sufficit Praelati

personam in suis violari, rebus scilicet vel personis, v. gr. consanguineis vel familiaribus; neque a semetipso violari, v. gr. si Praelatus sese vulneret, quia obvie omnino lex intelligenda est de aliis violentas manus iniicientibus, non de illis in quorum favorem lex lata est, si in seipsos manus iniiciant. Et confirmatur can. 2350, § 2.

Porro, si actio est talis, censura contrahitur, etsi quis ex mandato alterius, utcunque, vel Superioris, agat.

In *personam S. R. E. Cardinalis:* iam scilicet electi et publicati. Can. 233.

Vel *Legati Romani Pontificis;* sive *a latere*, sive sub nomine *Nuntii* vel *Internuntii*, aut *Delegati Apostolici*, sive ordinarii sive extraordinarii. Cf. sub num. praec. Attamen quandiu durat munus, nisi Legatus sit, uti ordinarie, etiam Episcopus.

Patriarchae, Archiepiscopi, etc.: non mere electi, sed etiam consecrati, quia charactere sacro Episcopi sunt tales et pertinent, iure divino, ad hierarchiam ordinis et iurisdictionis. Gradus vero Patriarchae et Archiepiscopi, ex Ecclesiae institutione, non est nisi ampliatio, quoad iurisdictionem, gradus episcopalis. Can. 108, § 3.

Episcopi etiam titularis tantum: quia specialis immunitas Episcopis conceditur non ratione iurisdictionis, sed ratione characteris. Idque praedictum confirmat de consecrationis necessitate.

10.

Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia..... Can. 2345.

31. - *Usurpantes* sunt qui rem alienam, quocunque modo, vi vel fraude, occupando tanquam suam, quasi scilicet ius haberent, eam extrahunt a domini potestate: ergo auctoritative, sive publica, sive privata tantum auctoritate. Ad usurpationem igitur requiritur: 1° rei occupatio, seu apprehensio eo modo quo rei natura patitur, et quo in possessionem reducatur occupantis; 2° rei, cuius actuali possessione privatur dominus; 3° occupatio, quae fiat ab occupante animo domini, seu quasi iure suo utente.

Ergo non sunt usurpantes, qui rem ab usurpatore vel ab aliis quocunque titulo acquirunt: quia non tunc res domini potestati subtrahitur. Neque qui bona fide occupant et deinde mala fide retinent, quia usurpatio non materialiter, sed formaliter intelligitur. Neque qui occupant ut sese compensent, quia compensatio non est usurpatio. Neque fures, cum non iure et animo domini occupent, S. Offic. 9 mart. 1870. Idem dicendum de iis, qui damna causant, ex defectu primae vel, certe, tertiae conditionis. Card. D'Annibale, *Comm. in Const.* « Apostol. Sedis », n. 91.

32. - *Vel detinentes*, scilicet quasi sua, etsi ipsi non invaserint seu usurpaverint, sed ab usurpatoribus immediate vel mediate acceperint. Ergo iterum neque fures neque qui a furibus acceperint sunt detinentes, quia non rem proprie usurpatam, uti supra, animo domini et quasi iure detinent. — Detinentes, prout ab usurpatoribus distinguuntur, debent et ipsi intelligi formali iniustitia detinentes: nam, si ipsi in rei possessionem venerint bona fide vel titulo independente ab eorum voluntate, ex. gr. hereditate, censurae non subiacent, si rem detineant, quam non possint hic et nunc sine maiori Ecclesiae vel civilis societatis damno restituere: immo neque mala fide acquirentes, quia, etsi peccent acquirendo, non peccant tamen detinendo. A fortiori si consensus accedat, vel tacitus, Romani Pontificis.

Per se vel per alios. Sufficit igitur ut quis vel per alium usurpet vel retineat: ideoque causae principales, non instrumentales et mere exsecutivae, hac censura plectuntur. Et, si agatur de adnexione per politicam usurpationem vel usurpatorum detentionem, ex. gr. ex parte heredum, probandum est quod Card. D'Annibale, *l. c.*, n. 100 docet, nempe solos viros principes hanc excommunicationem incurrere: non item senatores et deputatos; nam isti, non quasi singuli (usurpant) detinent, sed quasi ordines: excommunicatio vero singulares personas afficit.

Bona aut *iura:* temporalia profecto, quae Ecclesia Romana, uti suprema persona iuridica, legitime possidet, quibusque pro sua conditione, ecclesiarum omnium Matris et

Capitis, seu ratione primatus, etiam indiget. — *Bona*, quaecunque scilicet, sive immobilia sive mobilia, sive immediate Dei cultui dicata et stricte sacra, sive non. — *Iura*, sive temporalis iurisdictionis, sive proprietatis, sive in re sive ad rem. Verum, cum agatur de poena gravissima, bona et iura heic esse non possunt bona et iura parvi momenti. Sunt igitur bona et iura, quorum violatio per se in grave cederet Ecclesiae praeiudicium, quaeque Ecclesia pro viribus sibi vindicat, uti societas visibilis, iuridica, a Statu omnino independens.

Ad Ecclesiam Romanam pertinentia. Ergo non bona aut iura aliarum ecclesiarum particularium, quorum usurpatio alia plectitur excommunicatione, scilicet can. 2346; nec privatorum, licet S. R. E. Cardinalium, sed nonnisi Ecclesiae Romanae, qua talis.

Iamvero, si hic canon cum veteri comparetur iure Constit. « *Apostolicae Sedis* » Pii IX, in qua speciali modo excommunicantur invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis: et insuper animadvertatur usurpatores bonorum ecclesiasticorum cuiuscunque generis, tum immobilium tum mobilium, tum corporalium tum incorporalium seu iurium, ut iam olim, ita nunc alia plecti excommunicatione, can. 2346, concludendum bona et iura huiusmodi ad Ecclesiam Romanam pertinentia, bona et iura esse specialia ipsi propria. Cum vero de temporalibus bonis et iuribus agatur, alia intelligi nequeunt, nisi vel tantum bona et iura principatus civilis, prout in praedicta Constit. Pii IX, vel etiam bona et iura temporalia principatus religiosi; nam Ecclesia Romana, ut omnium ecclesiarum princeps, specialia habet bona et iura temporalia, ad ipsiusmet religiosi principatus exercitium necessaria. Et hoc secundum verbo suadetur « *usurpantes* », quo incipit hic canon; nam usurpatione bonorum et iurium civilis principatus iam consummata, tantum detentores iam nunc poena mulctari possunt: ideoque usurpatores, si qui sunt, nonnisi bonorum et iurium intelliguntur, quae adhuc Ecclesia Romana, qua talis, habet, possidet: bonorum scilicet sive corporeorum, sive incorporeorum seu iu-

rium, quae thesaurum constituunt S. Petri proprie dictum. Sub hoc censu non tantum immobilia et mobilia veniunt pretiosa, quae intra septa Vaticani continentur, sed alia etiam bona et iura, seu tituli, quae alibi, sive in Urbe, sive in Orbe, a Sede Apostolica, suo saltem nomine, possidentur.

11.

Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes..... Can. 2360, § 1.

33. - *Omnes*, clerici vel laici, exceptis tantum S. R. E. Cardinalibus, vi can. 2227, § 2, quia expresse non nominantur, uti deberent, ad excommunicationem incurrendam.

Fabricatores vel falsarii. — Fabricatores sunt qui falsa ex integro conficiunt: falsarii, qui documenta vera, heic Sedis Apostolicae, litteras etc. adulterant, mutando, addendo, detrahendo ita, ut substantialiter sensus immutetur a Sede Apostolica intentus et alter decipi possit. — Fabricatores et falsarii intelliguntur, qui dolo malo agunt, vel ad suam scil. ipsorum utilitatem, vel ad damnum aut cum damno (praeviso) aliorum, etsi deceptio damnumque vel propria utilitas non sequatur; crimen enim, quod hic punitur, est tum, et praecipue, iniuria in Summi Pontificis auctoritatem, tum damnum, quod infertur vel inferri potest. — Quare, ubi nullum sit damnum neque esse possit, nullaque iniuria, v. gr. si quis falsas litteras etc. confecerit vel veras adulteraverit mox laceraturus, verius excommunicatio cessat.

Verum dolo malo fabricantes vel falsantes, statim ac fabricatio vel adulteratio est perfecta, hanc excommunicationem incurrunt, etsi deinde eisdem documentis ita confictis vel adulteratis non utantur. — Fabricatio tamen non est perfecta, nisi falsum documentum sit etiam falso signatum et sigillo vel plumbo munitum: neque adulteratio intelligitur, nisi documenti veri, iam signati et sigillo vel plumbo muniti et, si expeditum, non caduci, puta, elapso tempore vel defuncta persona, sed adhuc in suo robore permanentis.

Litterarum, decretorum vel *rescriptorum Sedis Apostolicae.* Litterae, prout a decretis et rescriptis distinguuntur, sunt ea Sanctae Sedis documenta, quae sive in forma Bullae sive in alia minus sollemni prodeunt, quaeque, vel ad universam Ecclesiam vel ad particulares sive ecclesias sive personas, physicas vel morales, mittuntur, ad docendum, dirigendum, zelum excitandum, redarguendum, laudandum etc. — Decreta, ea sunt, quibus Sancta Sedes in materia fidei, morum et disciplinae statuit sub propria sanctione quid credendum vel agendum. Rescripta ea sunt, quibus Sancta Sedes, ad preces supplicantium, ius definit vel favorem concedit, prout rescripta sunt iustitiae vel gratiae. — Ubi non agatur de negotiis sollemnioribus et universalibus, pontificia huiusmodi documenta, ut plurimum, formam habent *Brevis*, Constitutionis scil. pontificiae in membranis albis atque subtilibus, latino eoque nitido charactere conscriptae, sigillo cerae rubrae munitae, in quo est expressa S. Petri imago, piscationem agentis, et per Secretariam Brevium expeditae. Nihil igitur excipitur documentorum, quae procedunt a Sede Apostolica.

Sedis Apostolicae. Ergo huc non spectant litterae aliave sive Legatorum R. Pontificis, sive, videretur saltem, ipsarum Romanarum Congregationum, etsi ab ipso R. Pontifice approbata.

Ita sane DD. communiter, ius vetus interpretantes Constit. « *Apostolicae Sedis* », § 1, num. 9, quo censura latae sententiae speciali modo reservata ferebatur contra falsarios Litterarum Apostolicarum: nam Litterae Apostolicae propriae illae sunt, quae nomine Romani Pontificis expediuntur, sive in forma Bullae, sive in forma Brevis vel supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium. — Verum novo iure excommunicatio fertur tum in fabricatores (ne isti viderentur excludi, cum falsarii pressius illi sint, qui documentum adulterant verum), tum in falsarios etiam decretorum et rescriptorum, et quidem *Apostolicae Sedis.* Quid venit nomine Apostolicae Sedis? Ex can. 7 « non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet ». Et nonne acta Sanctae

vel Apostolicae Sedis sunt, praeter Bullas, Brevia etc. Romani Pontificis, etiam decreta, rescripta Congregationum, Tribunalium etc.? Ergo obiectum excommunicationis in novo Iure ampliatur prae veteri Iure. Ita sane, quia nihil est, sive ex natura rei, sive ex contextu huius canonis, quo pateat exclusio. Et confirmatur can. 2333 (cf. sub num. 6 huius seriei), nam ex declaratione S. C. S. Officii die 13 ian. 1892 « Acta a Sede Apostolica profecta » sunt intelligenda acta, non tantum Romani Pontificis, sed etiam SS. Congregationum, Tribunalium, Officiorum, quibus mediantibus Romanus Pontifex universalis Ecclesiae regimen agit.

Cum vero in praesenti canone acta non memorentur ut in can. 2333 Legatorum, evidenter ibidem non comprehenduntur.

34. - *Vel eisdem litteris* etc. *scienter utentes.* Utentes hic ab illis distinguuntur, qui fabricant vel falsant, de quibus antea. Neque qui fabricant vel falsant et simul utuntur duplicem censuram, sed unam contrahunt, quia unum, etsi gravius, committunt crimen; et, licet lex tum fabricationem vel adulterationem puniat, tum usum, tamen unus est legis finis. Duplici tamen excommunicatione irretiri docet Em. D'Annibale, *Comm. in Const.* « Apost. Sedis », num. 121.

Utentes sunt qui litteras exhibent, ut effectum habere possint, etsi de facto forte non habeant, quia falsitas deprehenditur.

Scienter tamen utentes: ergo ignorantia, etiam crassa vel supina excusat: ignorantia nimirum, qua utentes nesciant vel ea documenta falsa esse vel falsata, vel eorum usum excommunicatione puniri.

12.

Qui « *per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit* », quique « *nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can.* 894 ». Can. 2363.

35. - *Per seipsum vel per alios;* scilicet, sive ipsemet falso denuntiaverit, sive ut alii falso denuntient causa exstiterit, mandato, aliave positiva et efficaci cooperatione. *Positiva;* nam negative sese habens, non impediendo, etsi forte possit et debeat, non dicitur proprie per alios denuntiare: *efficaci;* secus enim vera causa denuntiationis non est, ideoque ipse neque per se neque per alios denuntiat. Id vero sufficit; non enim requiritur ut alii nomine illius agant. Quomodocunque suasionibus aut promissis aut blanditiis aut minis aut quovis alio modo sceleste *procurando*, ut *id ab aliis fiat* (ita Benedictus XIV in Constit. « *Sacramentum Poenitentiae* », § 3), quis per alios revera denuntiat, quia quod quis per alios facit, per semetipsum facere censetur: ergo non tantum mandato. Quod vero et isti alii non effugiant excommunicationem, evidens est. — Attamen utrum haec verba « per alios denuntiaverit », prout in canone, eandem habeant latitudinem, quam in Benedicti XIV Constitut., merito dubitatur. Sane neque dicta Constit., uti huius fons canonis, citatur, neque dictio est eadem: aliud enim est sceleste procurare ut id ab aliis fiat, aliud vero per alios denuntiare. Porro nonnisi mandans proprie per alios denuntiat: ideoque alii cooperatores, praeter mandantes, verius non comprehenduntur.

Confessarium: nam de crimine agitur, calumniose imputato, sollicitationis in confessione vel in illis adiunctis expresse enuntiatis in praedicta Benedicti XIV Constit., quibus sollicitatio connexionem habet cum confessione. Ergo neque sacerdotis non confessarii falsa comprehenditur denuntiatio, etsi abusive et per nefas confessiones audierit: neque confessarii, si accusetur uti sollicitans alio tempore et occasione, nullam relationem habente ad confessionem.

De sollicitationis crimine. Quid sit sollicitationis crimen habes ex cit. Constit. « *Sacramentum Poenitentiae* » Benedicti XIV. Illud nimirum est, quo sacerdotes, tam saeculares quam regulares, quomodolibet exempti..... cuiuscunque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio et indulto muniti..... aliquem poenitentem, quaecunque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel

etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. § 1.

Nefarius igitur abusus Sacramenti poenitentiae, de quo in hac Constit., committitur per sollicitationem non ad quodlibet peccatum, quantumvis grave; sed ad turpia, scilicet, contra VI Decalogi praeceptum: sollicitationem obiective gravem (eaque semper est, si in materia luxuriae proprie dictae), et subiective gravem, quae nempe mala intentione peragitur: sollicitationem quolibet modo commissam, sive tunc fiat, sive tantum mediis paretur, etsi specie indifferentibus, ut postea fiat: et commissam non tantum in confessione, sed etiam, (iterum sive in se sive in mediis), in omnibus illis supra enumeratis adiunctis, quae diversimode relationem habent ad confessionem; et etiam, ut in praetextu vel simulatione, si nulla vera confessio fiat vel praecesserit vel sequatur. Uberiora invenies in quocunque tractatu morali de Poenitentia.

Apud Superiores: seu illos, quibus iure denuntiatio est facienda, i. e. Ordinario loci vel S. Congreg. S. Officii, can. 904. Quapropter, si apud alios fiat falsa denuntiatio, nisi denuntians sciens volens causa sit ut isti denuntient cui de iure, ideoque per istos revera denuntiet, excommunicatio non contrahitur.

Falso denuntiaverit: non utcunque, sed iuridice, seu ad formam iuris; nam et haec denuntiatio sollicitatis praescribitur et nonnisi haec *per se* causa esse potest damnorum reparandorum, ut in sequentibus huius canonis verbis; siquidem ex denuntiatione tantum iuridica initium sumit processus iuris, quo confessarius, utut innocens, privari potest officiis, beneficiis etc.; ideoque grave damnum incurrere.

36. - Crimen hoc falsae de sollicitatione denuntiationis id habet in linea reservationis proprium, ut sit reservatum non solum ratione censurae, sed etiam ratione sui (et unicum

est peccatum ratione sui Apostolicae Sedi reservatum), ut constat ex can. 894; ideoque, si censura non contrahitur, puta, ratione ignorantiae, non ideo a peccato poenitens per se absolvi potest a quocunque confessario, sed nonnisi a R. Pontifice vel ab iis quibus ipse commiserit. Attamen, cum ex verbis Constit. Benedicti XIV haec reservatio manifesto in poenam sit constituta: novoque iure etiam rationem poenae medicinalis verius prae se ferat, videtur ignorantia, sive legis, sive solius tantum poenae, dummodo crassa vel supina non sit, ab ea excusare, ex can. 2229, § 3, 1°. — Verum practice haec ignorantia raro aderit, nam Superior, cui fit denuntiatio, tenetur denuntiantem monere de censura et de reservatione.

Insuper proprium huius criminis est, ut nullo in casu possit absolvi, nisi praemissa falsae accusationis formali retractatione et damnorum, si quae confessarius innocens passus est, reparatione. Diserta sunt verba canonis: « *ullo in casu nequit absolvi* ». — Haec retractandi et reparandi obligatio, cum sit ex iure naturali, neque a S. Pontifice remitti potest.

37. - Sed nonne, si urgeat absolutio, ut in articulo aut periculo mortis, vel extra etiam, ubi communio vel celebratio differri non possit sine scandalo aut infamia, sufficere potest seria et sincera promissio quamprimum retractandi et reparandi? nam formalis retractatio, quae hic exigitur, estne retractatio apud iudices ecclesiasticos, quibus facta est falsa denuntiatio, Episcopum scilicet vel S. Officium? Verum huiusmodi retractatio non semper hic et nunc fieri potest, urgente absolutionis necessitate. Ordinarie fieri non potest in casu imminentis mortis, neque, ut plurimum, in casu scandali vel infamiae vitandae ex omissione communionis vel celebrationis, si nempe tempus non suppetat recurrendi: neque profecto vult sancta mater Ecclesia moribundos huius criminis reos inabsolutos decedere vel alios in bivio poni, aut excitandi scandalum infamiamve incurrendi, aut communicandi vel celebrandi in peccato mortali. Quis dicet in his adiunctis sufficere ut reus, praesertim moribundus, sibi prospiciat, cum retractandi et reparandi voluntate, per actum contritionis? et damnorum reparatio, quae aeque exigitur ac retractatio, estne

semper possibilis? et, si quis neque actu neque spe habeat unde reparet, privabiturne in perpetuum absolutione? — Ergo verba illa, quae tamen categorica sunt: « ullo in casu nequit absolvi » intelligi non possunt de obligatione personaliter adeundi Episcopum vel S. Officium, seu de retractatione immediate facta apud ipsos ecclesiasticos Superiores, neque de effectiva damnorum reparatione, etiam in casu impossibilitatis. — Ex alia vero parte retractatio manifesto non sufficit, quae fit in ipsa confessione, in qua insuper damna non reparantur: et tamen a canone utrumque exigitur, retractatio et reparatio. Retractatio haec intrinseca est et essentialis ipsi confessioni, neque esset cur canon eam requireret, tanquam conditionem sine qua non absolutionis; sicut ex natura rei conditio absolutionis esset etiam vera voluntas et promissio quamprimum retractandi apud quos de iure et reparandi.

Cum tamen retractatio in quocunque casu exigatur, et merito quidem, ad innoxios confessarios efficaciter contra tantam iniuriam tuendos, quae secus non satis propulsaretur; siquidem bona voluntas et promissio possunt poenitentis morte vel posthuma voluntate mala frustrari; dicendum retractationem ibidem exigi necnon reparationem, quae heic et nunc praestari potest. Et retractationem quidem, quae valeat in foro ecclesiastico apud Superiores effectus resolvere falsae denuntiationis: ideoque scriptis, saltem a poenitente reo subsignatis, vel coram duobus testibus, qui tenentur, vel sub iuramento, ad secretum servandum, vel, si aliud non sit possibile, coram confessario factam extra confessionem, vel in confessione, data ei a poenitente expressa licentia utendi notitia confessionis, et ad Superiorem deferendam. Caute tamen procedat confessarius, si res agatur intra poenitentem et ipsum solum et infirmus convalescat: posset enim poenitens deinde negare se quidquam retractasse vel confessarium de violatione accusare sigilli. Consulerem ut vel retractationem vel licentiam etiam scriptis, salvo sigillo et remoto gravamine poenitentis, deinde obtineat. Reparationem demum intellige, qua, iuxta aequam damnorum aestimationem, laesus vel de facto vel de iure, seu per chirographum debiti, indemnis fiat: sed, si tempus non suppetat in urgente necessitate, vel poe-

nitens neque in re, neque in spe, habeat unde reparet, sufficiet sincera promissio faciendi quod in se est. Etsi canon rigorose, et merito, contra reos agat tanti criminis, censendus non est conditionem apposuisse impossibilem.

38. - Ultimo notandum quod reus in periculo mortis absolutus, praemissa retractatione, uti supra, liberatur ab ulteriori onere, vel iterum retractandi personaliter apud Superiores, quia iam sufficienter pro posse retractavit: vel recurrendi iuxta can. 2254, quia recurrendi onus non imponitur absoluto in periculo mortis, nisi pro censuris specialissimo modo Apostolicae Sedi reservatis vel pro censuris ab homine. Sed absolutus in necessitate celebrandi vel communicandi, etsi non teneatur iterum ipse apud Superiores retractare, tenetur tamen, sub poena reincidentiae, intra mensem recurrere ad quos de iure, ut monita vel mandata accipiat, quia absolutio in casu praedicto nonnisi sub hoc onere dari potest.

Series III.

Excommunicationum scil. « simpliciter » Sedi Apostolicae reservatarum.

Excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae subiiciuntur:

1.

Quaestum facientes ex indulgentiis... Can. 2327.

39. - *Quaestum facientes:* ideoque requiritur ut pretium, saltem partialiter, fuerit perceptum: conatus vel ipse contractus ante cuiuscunque pretii traditionem, concessa vel iam indulgentiae gratia, non sufficit. — Quaestum facientes ii sunt qui iure delegato vel privilegio possunt indulgentias concedere; nam de iure ordinario id nonnisi S. Pontifex potest, qui huius thesauri est, ut Caput Ecclesiae, iure proprio custos et dispensator. — Hoc iure vel privilegio, tanquam dignitati

vel muneri adnexo, intra certos limites ex S. Pontificis concessione, fruuntur in primis Cardinales et Episcopi. Can. 239, § 1, 5°, 6°, 24°; 349, § 2, 2°: sed et alii, vel simplices sacerdotes, saeculares et regulares, immo et non sacerdotes, sive regulares sive laici, si id speciali privilegio a S. Sede obtinuerint, indulgentias concedere possunt.

Quaestum facientes sunt mercimonium agentes, si nempe nonnisi sub conditione pretii solvendi, sive pecunia numerata sive alia res sit pretio aestimabilis, indulgentias concedant; aut si, concedendo, publicando, vel publicari iubendo, etiam per simplicem indicis indulgentiarum sacris aedibus appositionem, satis declarent solventibus eas concedi; ita scilicet ut pretium, etsi heic et nunc in pactum non deducatur, tamen exspectetur, tanquam debitum. — Neque refert an id praetextu fiat operis pii: neque a peccato neque a censura ullo praetextu excusatur, nam huiusmodi quaestus redolet simoniae pravitatem, scandalum gignit fidelibus, eoque poenitentiae robur frangitur atque ipsa clavium auctoritas vilescit. Constit. S. Pii « *Quam plenum* », 2 ian. 1569. Haecque profecto ratio fuit censurae, iterum confirmatae in Constit. « *Apostolicae Sedis* » Pii Papae IX.

Ex indulgentiis. Indulgentia remissio est poenae temporalis, peccatis debitae iam quoad culpam remissis, per claves Ecclesiae extra sacramentum, ex Ecclesiae thesauro, seu per applicationem meritorum Christi et Sanctorum, vivis per modum solutionis, defunctis per modum suffragii. Ergo censura non est extendenda ad illos, qui quaestum faciunt ex aliis gratiis spiritualibus, prout extendebatur in veteri iure; nam, etsi indulgentiae sint et ipsae gratiae spirituales, non tamen gratiae spirituales sunt necessario indulgentiae. Cum igitur *ex indulgentiis* hic dicatur, quae sunt peculiare genus gratiarum spiritualium, nonnisi illi hanc censuram incurrunt, qui ex indulgentiis, non autem qui ex aliis gratiis spiritualibus, etsi graviter peccent, quaestum faciunt.

2.

Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur... Can. 2335.

40. - *Nomen dantes:* sunt qui scientes volentes socii fiunt talium associationum, quocunque ritu initientur vel nullo ritu; sive exigatur ab ipsis iuramentum de secreto servando, sive non; sive cooperationem intendant fini societatis, sive suam ipsorum tantum seu privatam utilitatem quaerant, neque forte in sociali eiusdem activitate participent. — Tres tamen conditiones requiruntur ad censuram incurrendam, nempe: 1) Ut secta sit constituta. Non ideo tamen primi sectam constituentes a censura excusantur; sed eam incurrunt, statim ac secta consistit, nisi interim recesserint. 2) Ut contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinetur, sive palam sive occulte. 3) Ut nomen dans probe sectae indolem cognoscat, seu eam contra Ecclesiam machinari vel legitimas civiles potestates et (idque subintelligitur; est enim conditio cuiuscunque poenae incurrendae) uti talem prohiberi sub censura. — Non tamen semper manifesto apparet societatem esse talem, contra Ecclesiam scil. etc. machinari: ergone tunc nomen dantes a culpa excusantur et a poena? Placet quod scribit em. D'Annibale, *l. c.*, num. 118: « Si socii, inquit, 1) palam nec iurati coeunt, puto eos et culpae et poenae eximi, quamdiu id ignorant; si 2) clam et iurati, nec culpae, nec poenae; si 3) clam, sed non iurati, vel (quod difficile est) iurati et non clam, excommunicationem effugere eos puto, quia versamur in odiosis: culpam propter periculum, non item ».

Sectae massonicae: idque sine discriminatione et limitatione; nam indoles huius sectae ubique fere diffusae, ubique eadem est, etsi alicubi vel aliquando suam dissimulet perversam naturam. Saltem contra Ecclesiam secta massonica, synagoga Satanae, palam vel clam machinatur; ideoque non mirum quod plures Pontifices iam in eam animadverterint.

Aliisve eiusdem generis associationibus, quae etc. Nam « variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi, summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cuiusdam est instar centri, unde abeunt et quo redeunt universae » (Leo XIII, Encycl. « *Humanum Genus* »). — Necesse non est ut associatio sit, ut talis, in particulari positive damnata, uti est, praeter sectam massonicam, ex. gr. *societas carbonariorum* (Constit. Pii VII « *Ecclesiam* », 15 sept. 1821; Constit. Leonis XII « *Quo graviora* », 13 mart. 1825; Constit. « *Apostolicae Sedis* », 12 oct. 1869): vel *societas fenianorum* (S. Offic., 12 ian. 1870): sed sufficit ut talis sit et, profecto, ad censuram incurrendam, ut talis cognoscatur. Immo sunt societates nominatim damnatae, ex. gr. *Equitum Pythiae* (Knights of Pythia), *Sociorum Singularium* (Odd Fellows), *Filiorum Temperantiae* (Sons of Temperance), decretis 20 ian. 1894 et 18 ian. 1896, quae huc non pertinent. — Neque necesse est, quidquid alii aliter sentiant, ut societas occulta sit et in occultis machinetur; nam id ex tenore huius canonis nullatenus exigitur: sufficit ut societas sit organizata et contra Ecclesiam vel Statum machinetur.

Quapropter omnes hic comprehenduntur societates *Biblicae, Modernisticae, Spiritualisticae:* societates, quae *Liberalismum, Socialismum, Communismum, Internationalismum, Nihilismum* profitentur, aliaeque, quae perniciosis doctrinis vel propositis usibusque tranquillitatem et pacem Ecclesiae vel civilis Status vel utriusque in discrimen adducunt. — Sectae mere religiosae, schismaticae vel haereticae, quorum membra de cetero iam excommunicatione speciali modo reservata plectuntur, huc non pertinent. Neque pertinent illae societates, quae, licet malae et ab Ecclesia forte damnatae, tamen nihil contra Ecclesiam vel Statum moliuntur. A fortiori non pertinent illae operariorum sodalitates, quae nonnisi mutuam protectionem et iuvamen quaerunt in exercitio suae artis et laboris. « Cavendum tamen, monent Patres Baltimorenses Concilii Plenarii III sub num. 253, ne sub hoc praetextu quidpiam admittatur, quod sectis damnatis faveat: neve operarii, qui iis societatibus nomen dant, pravis subdolisque malorum ho-

minum artibus inducantur ut contra iustitiae leges laborem ab ipsis debitum subtrahant, vel alio quovis modo eorum, quibus subiiciuntur, iura laedant. — Illi autem coetus prorsus illiciti sunt, in quibus ita arcto foedere in mutuam defensionem coniunguntur socii, ut exinde oriatur turbarum et caedum periculum ».

Haec distinctio inter sectam massonicam aliasque eiusdem generis sub censura damnatas et associationes tantum illicitas mereque prohibitas prae oculis habenda est in praxi, pro absolutione illis impertienda, qui, cum alicui sectae nomen dederint, poenitentiam agunt; sed, etsi sectam ex animo reprobent, tamen vel propter temporale emolumentum, vel propter damnum vitandum, detrectant externe etiam, nuncio remisso, sese a secta separare. Nam adscripti sectae massonicae vel aliis eiusdem generis, absolvi non possunt a confessario facultatem habente, nisi a secta absolute se omnino separaverint eamque insuper ciuraverint, saltem coram confessario; scandalo, melius quo fieri potest, reparato, traditisque confessario libris, manuscriptis ac signibus, si quae retineantur, sectam respicientibus, ad Ordinarium quamprimum caute transmittendis, vel, si graves obstent causae, comburendis. Adscripti vero secundi generis societatibus absolvi aliquando poterunt, etsi non externe, nuncio remisso, ab eisdem sese separaverint, si scil. adfuerit bona fides, scandalum removeatur, ex renuntiatione grave damnum timeatur, nullumque sit perversionis periculum; idque praesertim in periculo mortis. Iudicium tamen harum conditionum, utrum verificentur, non est confessarii, sed vel Legati Romani Pontificis, vel Archiepiscopi pro sua provincia, vel saltem Ordinarii loci. S. Offic. 18 ian. 1896 et 27 iun. 1913.

Notandum non semper valere confessarium in praxi iudicare de societatis indole, cui poenitens adscriptus est: et in dubio quidem an societas, certo mala, sit massonicae affinis ideoque sub censura damnata, praeterquam in mortis periculo vel urgentis casu necessitatis, et tunc etiam non sine promissione quamprimum a secta sese separandi, absolutio dari non debet a confessario facultatem a censuris absolvendi non habente, nisi prius ipsi constiterit de societate non agi sub

censura prohibita, vel, facta investigatione, dubium repelli non possit. — In dubio autem an societas sit illicita vel non, en principia, quae traduntur a Patribus Baltimorensibus Concilii Plenarii III sub num. 247: « Si, nempe, huiusmodi societas aut ita secretum servandum iniungat, ut neque auctoritati Ecclesiae illud manifestari sinat; aut si iusiurandum vel promissionem caecae absolutaeque obedientiae exigat, ea, praescindendo etiam a censuris, inter vetitas est recensenda, atque adscripti absolutione sacramentali privandi, donec effectu ipso ab ea penitus recedant, vel saltem se continuo recessuros serio promittant ». Cf. supra relata ex D'Annibale.

Contra Ecclesiam: seu eius doctrinam, auctoritatem, constitutionis formam, iura, praerogativas, necnon personas ecclesiasticas, qua tales.

Vel legitimas civiles potestates: supremas scil. seu statales, quibus totius populi gubernium agitur, sive ipsa potestas, sive personae potestate investitae, qua tales, impetantur, puta, ad gubernium evertendum, vel constitutionem et formam immutandam, vel alium modum investiturae aliudve subiectum inducendum. *Legitimas* tamen, quarum merito vult Summus Pontifex iura tueri; tum quia, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, tum quia attentatio contra legitimam civilem potestatem in perniciem cedit civilis societatis et vel ipsa Ecclesia non raro graviter perturbatur. Illegitima vero potestas non est vera potestas, nullo iure potitur: ideoque nullum est *per se* civium officium ei obtemperandi. Nullus igitur ei favor.

3.

Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata... Can. 2338, § 1.

41. - *Absolvere praesumentes:* sunt qui reapse, quidquid sit de absolutionis valore, absolvunt: ergo non simulantes, eoque magis confessionem tantum audientes. Praesumptio tamen ad censuram incurrendam requiritur: ergo ex ignorantia agens, sive facti, ut si ignoret censuram fuisse contractam;

sive iuris, ut si ignoret vel non animadvertat censuram esse reservatam; sive poenae, si nesciat absolventem excommunicari: ex ignorantia, inquam agens, dummodo non affectata, a censura excusatur. Ad rem clar. D'Annibale, *l. c.*, num. 154: «Ad hanc autem excommunicationem incurrendam tria sunt necessaria: 1) ut excommunicatio certe sit reservata; 2) ut ab ea absolvat; 3) ut temere. Adeoque cessat (ex 1), si reservatio dubia sit, vel probabile sit te absolvere posse; (ex 2) si, audita confessione, poenitentem inabsolutum dimiseris, aut absolveris verbo tenus, aut, probabiliter, a peccatis dumtaxat, non a censuris; (ex 3) si lapsus ignorantia, vel crassa, non tamen affectata, eum absolveris ».

Sine debita facultate: quae ab homine esse potest vel a iure. Et a iure quidem hanc facultatem habent omnes sacerdotes, etiam non confessarii, in periculo mortis: et omnes confessarii, etiam extra periculum mortis, in casu urgenti, iniunctis tamen ad absolutionis liceitatem de iure iniungendis. Cf. sub num. **33** et **34** I Libri. Ideo em. D'Annibale, *l. c.* supra c.: « Denique haec excommunicatio non pertinet ad eos, qui absolvunt morituros vel impeditos Superiorem adire; et planum est ».

Ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo etc. Quaenam sit et quot sint, iam vidimus. Ergo haec censura non incurritur, si agatur de excommunicationibus Sedi Apostolicae simpliciter, eoque magis Episcopis vel a Sede Apostolica, reservatis. Ab excommunicatione: ergo non ab aliis censuris, poenis, peccatis.

4.

Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes... Can. 2338, § 2.

42. - *Impendentes:* sive clerici sive laici; nulla enim limitatio, nullaque oppositio inter *impendentes* et *clerici*, de quibus in secunda parte huius canonis.

Quodvis auxilium vel favorem. Ergo quocunque modo positive adiuvent, sive re, sive verbo, sive opere; nam verba sunt generalia et strictiorem sensum non admittunt, immo potius excludunt, ut patet ex verbo *quodvis.*

Excommunicato vitando: qui, scilicet, sit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus et, ut talis, seu ut vitandus, a Sede Apostolica publice denuntiatus. Can. 2258. — Ergo neque ille hic intelligitur qui a quovis alio, praeter Summum Pontificem, est nominatim excommunicatus, uti patet; neque ille, qui nominatim, vel a Summo Pontifice, *declaratur* excommunicatus excommunicatione generali latae sententiae.

In delicto, propter quod excommunicatus fuit. En obiectum auxilii vel favoris sub hac censura vetiti. Ergo auxilium tantum vel favor, i. e. quaecunque efficax cooperatio sub censura prohibetur in hoc praecise delicto, non in aliis: et in delicto quidem iam commisso, propter quod delinquens iam est excommunicatus; non in crimine committendo, secus auxilium vel favor non praestaretur excommunicato, sed excommunicando. Recte Laymann, P. 2, C. 3, n. 1: « Recte observant excommunicationem diversam esse ab ea, quae interdum consulenti vel cooperanti, v. gr. ad homicidium, decernitur; nam ad incurrendam excommunicationem, de qua agimus, necesse est ut principalis prius incurrerit excommunicationem, postea alter cooperetur et propter eam cooperationem excommunicetur. In altero vero casu cooperatio antecedit criminis consummationem et principalis criminosi excommunicationem ».

Auxilium vel favor in crimine huiusmodi, iam scilicet commisso et excommunicatione punito, aliud esse non potest, nisi auxilium vel favor, seu quaecunque positiva cooperatio ad hoc ut excommunicatus in crimine, ideoque in contumacia et excommunicatione, perseveret.

43. - *Itemque clerici:* ergo non laici, neque religiosi, vel religionis clericalis, si prima saltem tonsura initiati non fuerint. Num Episcopi? — Viderentur non comprehendi, quia in odiosis sub clericorum nomine Episcopi non veniunt. Sed obstat totus canon 108, quo ii clerici dicuntur, qui saltem per primam tonsuram divinis ministeriis mancipati, sacram

constituunt hierarchiam, quae iure divino constat Episcopis, presbyteris et ministris; tum finis huius canonis, animadvertendi scil. in personas ecclesiasticas, prout a laicis distinguuntur, propter speciale favoris genus excommunicato impensum, i. e. communicandi cum eodem in divinis quasi ex officio. Si ita, non apparet, cur Episcopi, quorum est praecipue munus invigilandi ne tales excommunicati in divinis recipiantur, quique profecto maiori etiam scandalo peccarent, excipiantur. Attamen nolumus huic opinioni mordicus inhaerere.

Scienter et sponte: ergo, ut iam saepius, ignorantia etiam crassa et supina, non vero affectata, et quivis metus vel coactio a censura excusant.

Cum eodem, seu excommunicato vitando, de quo supra.

In divinis communicantes: ergo censuram non incurrunt communicantes cum eodem in civilibus: immo neque communicantes in divinis, nisi communicatio ratione materiae sit gravis, nam censura, quae est poena admodum gravis, non fertur propter leve peccatum.

Et ipsum in divinis officiis recipientes. Tum particula coniunctiva, tum nexus logicus (nam, si simplex communicatio in divinis est censura prohibita, eo magis admissio: cur ergo distinguerentur?) videtur suggerere haec ultima verba per modum unius esse accipienda cum praecedentibus, i. e. in divinis communicantes. Et revera auctores generatim ita ea accipiunt ut sint explicativa et determinativa priorum, quatenus nempe communicatio ibidem clericis sub censura prohibita illa sit, qua nominatim excommunicatum admittunt ad divina officia obeunda: id enim est aliquem recipere in divinis officiis. Divina vero officia (cf. de Censuris in genere sub num. **44**), illa sunt quae clerici obeunt, ut Ecclesiae ministri, seu quae a solis clericis peragi possunt, nempe Missae sacrificium, Sacramentorum administratio, preces publicae etc. Ergo, ut contrahatur haec censura, non sufficit communicatio, qua excommunicatus vitandus permittitur ut passive assistat; sed ea requiritur, qua ei permittitur ut active participet in divinis et, praecise, divina peragendo.

Attamen dubitandum est de huius interpretationis veritate, quia in canone *communicantes in divinis* distinguuntur

et *in divinis officiis recipientes*. Communicantes non sunt necessario recipientes, quia communicari potest in divinis cum nominatim excommunicato, quin positive recipiatur seu admittatur ad divina obeunda. Num censura contrahitur solum propter communicationem in divinis cum *ministro* nominatim excommunicato? Ita sane, si communicantes et recipientes coniunctive accipiuntur. Ideo cl. D'Annibale, *l. c.*, num. 152: « posterior (scil. excommunicatio) non intelligitur, nisi clericus sit uterque: nempe et is, qui excommunicatus fuit et is qui cum illo communicat; nam divina officia non potest obire, nisi sit clericus; et ad ea obeunda nemo potest illos admittere, nisi qui aliquam in Ecclesia potestatem habeat: ideoque nisi et ille sit clericus ».

Verum communicantes cum eodem (scil. nominatim excommunicato, de quo in prima parte canonis) videntur potius cum eo communicantes, sive clericus, sive laicus sit. Et nonne communicat clericus cum excommunicato, quando hic sinitur in divinis officiis saltem active participare, quin officium obeat proprie divinum, scil. Ecclesiae ministris, qua talibus, reservatum, ex. gr. Missae inservire vel Eucharistiam recipere, immo una cum coetu fidelium officiis divinis assistere? Neque recipientes sunt necessario et stricte communicantes; namque admitti potest excommunicatus ad divina obeunda, quin in iis admittens participet, immo neque vel praesens sit. Ideoque illud *et* inter communicantes et recipientes vim videtur habere disiunctivi, denotántis aliam personarum classem. In alia interpretatione nobis non videtur satis servari forma, saltem logica, dictionis. Cur in divinis communicantes et in divinis officiis recipientes? Nonne dici debuisset: cum eodem communicantes, eum in divinis officiis recipiendo? Sed forma est omnino exacta, si recipientes sunt alii ac mere communicantes.

Cum tamen alia interpretatio sit communis, censura propter meram in divinis communicationem esset dubia ideoque nulla.

5.

Qui « contra praescriptum can. 120 *ausus fuerit ad iudicem laicum trahere..... Episcopum, etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum* nullius, *vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus.....* ». Can. 2341.

44. - Qui..... *ausus fuerit ad iudicem laicum trahere.* Cf. dicta sub num. 8, marg. **29**, excommunicationum speciali modo Sedi Apostolicae reservatarum, ubi actum est de excommunicatione specialiter reservata contra reos eiusdem criminis in S. R. E. Cardinales, vel Legatos Sedis Apostolicae, vel Officiales maiores Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium. Nunc excommunicatio sancitur simpliciter reservata in eum, qui ausu temerario ad iudicem laicum, sine venia Apostolicae Sedis, alios pertrahat, in eodem can. 120 nominatos, scilicet:

Episcopum, etiam mere titularem: consecratum, intelligitur, non mere electum.

Abbatem vel Praelatum «nullius»: qui, etsi non Episcopus, est tamen ad instar Episcopi, cum iurisdictione ordinaria et clero et populo separato. Abbatem vel Praelatum *nullius*, qui non sit Ordinarius proprius; secus enim excommunicatio contraheretur speciali modo Sedi Apostolicae reservata.

Vel aliquem ex supremis religionis iuris pontificii Superioribus: scilicet Generalibus vel, in Congregationibus monasticis, Abbate Primate, vel Abbate Superiore, vel Abbate monasterii sui iuris. Isti etenim sub nomine veniunt supremorum Superiorum; non Provinciales vel alii, qui in can. 488, 8° sub nomine Superiorum maiorum cum praecedentibus recensentur; nam praesens canon non dicit: aliquem ex maioribus, sed aliquem ex supremis.

Religio vero iuris pontificii illa est, quae vel approbationem, vel saltem decretum laudis ab Apostolica Sede est consecuta, can. 488, 3°. — Eadem tamen, quae quoad Abbates et Praelatos *nullius*, fiat animadversio, scil. excommunicationem speciali modo reservatam contrahi a subdito religionis, si nefas committat.

6.

1° *Clausuram monialium violantes, cuiuscunque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes;...*

2° *Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicunque ii sint, eas cuiuscunque aetatis introducentes vel admittentes;...*

3° *Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can.* 601. Can. 2342.

45. - 1° *Clausuram monialium:* seu religiosarum votorum ex instituto sollemnium, can. 488, 7°, quae clausurae stricte sumptae vel papali subiiciuntur; neque tantum professae, sed etiam novitiae et postulantes, dum postulatum peragunt. Can 540, § 3. Huc igitur Sorores non spectant recentiorum institutorum, quae pontificiae clausurae lege non tenentur. S. C. EE. et RR. 1 aug. 1839. — Clausura est totum illud spatium, cum hortis etiam et viridariis, quod septis monasterii continetur, excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet. Can. 597, § 2.

Violantes..... in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo. — Ingredi est intus consistere, vel uno passu; non tantum pedem vel brachium immittere. — Nonnisi tamen ingredientes *sine licentia* censurae subiiciuntur. Licentia vero, quae solum ab Apostolica Sede, seu a S. C. negotiis religiosorum proposita, dari potest, iure conceditur: 1° Ordinario loci aut Superiori regulari monasterium monialium visitantibus, vel aliis visitatoribus ab ipsis delegatis; sed tantum inspectionis causa, cautoque ut unus saltem clericus vel religiosus, vir maturae aetatis, eos comitetur; 2° Confessario vel eius vicemgerenti, cum debitis sane cautelis, tantum ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus; 3° Iis, qui supremum actu tenent populorum principatum, eorumque

uxoribus cum comitatu: itemque S. R. E. Cardinalibus; 4° Medicis, chirurgis aliisque, quorum opera sit necessaria, ex permissione, cum debitis cautelis concedenda, Antistitae et cum approbatione, saltem habituali, Ordinarii loci; quae tamen approbatio in casu urgenti, si tempus non suppetat, iure praesumitur. Can. 600.

Igitur non est amplius etiam Episcopi vel Praelati regularis licentiam concedere, quam Sedes Apostolica sibi reservavit: immo et ipsi deberent licentiam obtinere, si vellent, excepta causa inspectionis, monasterium ingredi.

Cuiuscunque generis aut conditionis vel sexus sint. Nemo ergo excipitur, nisi qui supra excipiuntur; ideoque violantes excommunicantur, clerici vel laici, viri vel mulieres, puberes tamen; immo et confessarius et Praelatus regularis et Episcopus, si alia causa ab illa iure probata, monasterium ingrediantur. *Puberes* tamen; nam impuberes, can. 2230, a poenis latae sententiae excusantur et, licet ipsi etiam prohibeantur, can. 600, clausuram monialum ingredi, tamen can. 2342, quo haec excommunicatio fertur, in clausuram violantes, non expresse amplius commemorantur, uti antea, per verba « *cuiuscunque aetatis* »; sed, immo, consulto omittuntur: neque prohiberi est idem ac excommunicari.

46. - *Pariterque eos introducentes:* eidem scil. excommunicationi subiiciuntur. — Introducere est intus mittere vel ingredi volenti ianuam aperire: quae quidem praestari et ab iis possunt, qui monasterio sunt extranei. Ergo huc non spectant qui alii cooperantur ad ianuam aperiendam vel effringendam aut, utcunque, auxilium vel favorem praestant; neque qui iniure licentiam ingrediendi concedant, ex. gr. Episcopus: nam introducentes proprie non sunt.

47. - *Vel admittentes.* — Admittere non est tantum ianuam aperire ut quis ingrediatur aut ingredi nitentem ultro excipere; sed etiam positive vel negative sinere, cum facile possit et debeat prohiberi, ut quis introeat vel iniure, palam vel clam ingressus, ibidem maneat, seu non expellatur. Nam non expellentes intrusum, cum ex officio debeant et facile possint, mo-

raliter, quidquid sit de vi grammatica huius vocis, sunt admittentes. — Id vero refertur ad ipsas monasterii personas: non quaslibet, sed eas, quae ex officio tenentur arcere sese intrudentes vel intrusos, ut ianitrix, abbatissa vel priorissa. Si alia privata monialis ianuam aperiret ingredi volentibus, ea potius esset *introducens*, ideoque non effugeret excommunicationem, quam *admittens*.

Eos tamen introducentes vel admittentes, seu clausuram monialium violantes, cuiuscunque generis sint, conditionis vel sexus: puberes tamen, ut supra monuimus. Ergone neque impuberes introducentes vel admittentes censuram incurrunt? Negandum omnino; tum quia introducerentur vel admitterentur violantes, etsi impuberes censura non plectantur; et sane can. 600 intra monialium clausuram nemo admitti potest, cuiuscunque sit generis, conditionis, sexus, aetatis sine Sanctae Sedis licentia: tum quia sub num. 2° huius canonis, ut mox dicetur, excommunicantur Superiores aliique mulieres cuiuscunque aetatis, ideoque etiam impuberes, introducentes vel admittentes. Quid? Excommunicarenturne Regulares propter infantulam introductam vel admissam: non excommunicarentur moniales propter iuvenculum, item introductum vel admissum, impuberem quidem adhuc, sed doli valde capacem? Ne interpretatio fiat contra rationabilem legislatoris mentem.

48. - 2° *Mulieres*. Ergo non viri plectuntur hac censura.

Violantes: profecto regularium virorum monasterium ingrediendo. Cf. dicta iam supra. Excipiuntur tamen uxores eorum, qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu, quibus ingredi iure permittitur. Can. 598, § 2. Non dicitur, ut infra de mulieribus introductis vel admissis; « cuiuscunque aetatis ». Ergo nonnisi puberes mulieres violantes intelliguntur.

Regularium virorum: seu Ordinis proprie dicti, non Congregationis, in quo vota sollemnia emittuntur.

Clausuram. Cf. iam dicta. Clausuram, quae est servanda in omnibus et singulis domibus, sive virorum sive mulierum, canonice constitutis, etiam non formatis, can. 597, § 1: etiam in domibus regularium virorum, quae adnexum habent con-

victum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, reservata aliqua, si fieri potest, aedis parte, clausurae subiecta, can. 599.

49. - *Et Superiores aliique, quicunque ii sint.* Igitur non modo Superiores, inferiores etiam et immediati; sed et subditi et non subditi, seu monasterio extranei, sive clerici sive laici, sive viri sive mulieres: latissime enim haec sonant verba et nonnisi impuberes excluduntur.

Eas, seu mulieres violantes, de quibus antea.

Cuiuscunque aetatis. Ergo etiam mulierem fatuam vel mentis inopem, quia lex non distinguit: immo et infantem, quia de muliere non agitur cuiuscunque aetatis violante, quae plectatur censura; censura enim supponit peccatum et peccatum usum rationis: ideo in vetere iure violantes cuiuscunque aetatis erant etiam impuberes septennes et doli capaces: sed agitur de muliere admissa et de excommunicatione in introducentes vel admittentes; ideoque illud « cuiuscunque aetatis » limitationem non accipit a subiecta materia. — Neque quis dicat infantem puellam non posse mulierem appellari; nam nomine mulieris lex personam foeminei sexus designare voluit et nihil aliud. Et confirmatur, quia secus neque mulier dici posset puella septennis, clausuram violans, quae tamen vetere iure ita habebatur mulier, ut excommunicaretur, si clausuram violaret. — Notandum tamen in nonnullis Regularium Ordinibus, qui intra monasterium cubiculum habent Sancti Fundatoris, legitima consuetudo adest ibi fideles admittendi utriusque sexus die eiusdem festo. Verum et animadvertendum est cum S. Alphonso num. 231 iuxta Elbel num. 671 « quoad modum servandi clausuram attendendas esse legitimas consuetudines et rationabiles, auctoritate Superiorum approbatas: non autem eas, quae potius abusus et corruptelae dicendae sunt ».

Introducentes vel admittentes. Cf. supra nn. **46, 47.**

50. - 3° *Moniales:* i. e. votorum sollemnium, quaeque vota sollemnia iam nuncuparunt. Ideo non veniunt postulantes, neque novitiae, neque religiosae claustratae, quae nondum sollemnem professionem emiserunt, quia moniales proprie non

sunt. — Neque dicatur religiosas votorum sollemnium, quae praevie ad professionem sollemnem interim vota nuncuparunt simplicia, immo et novitias et postulantes clausura teneri, can. 540, § 3. Nam aliud est clausura teneri, et aliud ob clausurae violationem, illegitime ex ea egrediendo, excommunicari. Porro in praesenti canone nonnisi moniales illegitime exeuntes, excommunicantur: professae vero votorum simplicium, vel in Ordine monastico, eoque magis novitiae et postulantes, non sunt moniales, nisi forte in fieri. Et nonnisi monialibus post professionem districte prohibetur e monasterio exire, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, excepto tamen casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali, sine speciali Sanctae Sedis indulto. Can. 601.

E clausura exeuntes: seu extra clausuram consistentes, sive per ianuam, sive per aliam viam egrediantur, etsi ad momentum et cum animo statim revertendi. Igitur, si monialis per fenestram extra muros se suspendat; si collocans se in rota, hanc ad externam partem patentem convertat (qui casus ponuntur potius ut res exemplis declaretur); si ascendat arborem qua parte muros clausurae praetergreditur, ut totum eius corpus extra clausuram sit; si ingrediatur exteriorem monasterii ecclesiam; si adeat aedes monasterio contiguas, ubi habitant foeminae monialium servitio addictae etc.; violatur graviter clausura. Ferraris, vid. *Moniales*, art. 3, num. 12 seqq. Item monialis in tecto monasterii stans aut sedens aut ambulans, clausuram violat, quia externum tectum extra clausuram est, ut declaravit S. Congreg. Cf. Lucidi, c. 5, § 2, n. 43; Ballerini-Palmieri, *Opus Theol. Mor.*, vol. IV, De statu religioso, num. 161.

Utrum in hisce detur materiae parvitas, ex. gr. si monialis uno vel altero passu e clausura egrediatur, statim regressura, controvertitur. Sed affirmandum videtur, quia, utut rigorosa lex, egressus sub gravi prohibitus ille potius intelligitur, quo egressa periculum subit cum externis conveniendi: id enim Ecclesia per clausuram praecise voluit praecavere.

Illegitime exeuntes: nam cum speciali Sanctae Sedis indulto, vel in casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali, iure exeunt, can. 601, § 1, § 2; etsi periculum, si

tempus suppetat, debeat, ad perplexitates vel allucinationes tollendas, scripto recognosci a loci Ordinario etiam pro monialibus, quae Regularibus subiiciuntur; nam et istae, quoad clausuram, sub vigilantia sunt Ordinarii loci, can. 603, § 1. Si tempus vero non suppetat, valet principium: necessitas non habet legem; sed quamprimum loci Ordinarius et etiam, si a Regularibus moniales dependent, Superior regularis moneri debet.

7.

Qui « bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit, aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur,... tandiu..., quandiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit... ». Can. 2346.

Conferatur hic canon cum canone 2345, sub num. 10 seriei praecedentis, in quo excommunicatio speciali modo reservata in usurpantes (et detinentes) fertur bona et iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia: neque inferatur istos usurpantes et in proprios usus convertentes huiusmodi bona et iura, scil. Ecclesiae Romanae, duplici teneri excommunicatione, specialiter et, vi huius canonis 2346, simpliciter reservata. Nam finis legis discriminantis inter usurpatores bonorum Ecclesiae Romanae et usurpatores aliorum bonorum ecclesiasticorum non alius fuit, nisi ut priores gravius, i. e. excommunicatione speciali modo reservata, prae aliis punirentur; idque propter Romanae Ecclesiae dignitatem et potentiorem principalitatem: ideoque nonnisi illam contrahunt. S. C. S. Offic. 8 iul. 1874. — Quaenam vero sunt bona et iura pertinentia ad Ecclesiam Romanam, de quibus in can. 2345, cf. iterum sub num. 10 praecedentis seriei.

51. - *Qui bona ecclesiastica cuiuslibet generis.* — Latissima est haec censura, tum quoad personas; omnes enim comprehendit, praeter S. R. E. Cardinales: tum quoad bona, nam

omnia omnino bona ecclesiastica complectitur et tuetur. — Bona vero ecclesiastica sunt, non tantum quae pertinent ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem; sed vel ad aliam in Ecclesia personam moralem, can. 1497: ideoque, nedum bona propria ecclesiarum; sed etiam bona locorum piorum, quae ab ecclesiastica auctoritate et dependenter ab Ecclesia reguntur et administrantur; monasteriorum, religiosarum congregationum, seminariorum, piarum associationum vel confraternitatum etc.; iis non exclusis, quae personae morali obvenerunt ex piis fundationibus vel legatis, quorumque iam habetur possessio et ius in re. — Agitur profecto de personis moralibus in Ecclesia iuridice constitutis, sive ex ipsa divina ordinatione, sive ex iuris praescripto, sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione per formale decretum. Can. 100 et 687.

Sive mobilia sive immobilia. — *Mobilia*, sive pretiosa, quibus nempe notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa, can. 1497, § 2: sive non pretiosa, sed in materia sufficiente ad furtum absolute grave. Agitur enim de poena gravi et persona morali, quae in bonis iuribusve laeditur: ergo de laesione gravi et, gravi quidem, pro tali persona: ad id autem nihil minus sufficere videtur materia absolute gravi. Mobilia, quatenus loco non sunt natura sua fixa et possunt sine laesione vel saltem diminutione rei principalis immobilis asportari. Mobilia, sive consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata seu proprie sacra, sive non. — *Immobilia*, quae scil. loco permanenter inhaerent et vel simpliciter, vel salva eorum substantia, vel re principali immobili non diminuta, asportari nequeunt, uti agri, ecclesiae, domus, imagines in pariete depictae, arbores, segetes nondum maturae, portae, fenestrae etc. Atque iterum immobilia, sive sacra, seu consecrata vel benedicta, ut ecclesiae vel coemeteria, sive non.

Sive corporalia sive incorporalia. — *Corporalia* sunt, quae sensibus; *incorporalia*, quae tantum intellectu attinguntur. Ad bona incorporalia pertinent iura, seu tituli in iure fundati, quibus corporalia Ecclesia (seu Ecclesiae personae) exigere et percipere potest, uti censuum, libellorum, legatorum piorum, decimarum etc.

Iura huiusmodi seu tituli rebus mobilibus accensentur vel immobilibus pro conditione rei, cui inhaerent.

In proprios usus convertere et usurpare praesumpserit. — Ergo ad hanc censuram incurrendam tria requiruntur: 1° Ut usurpans emolumentum ex usurpatione percipiat et praecise ex bonis, quae usurpantur; nam usurpare et in proprios usus convertere manifesto per modum unius accipiuntur; 2° Ut auctoritative, tanquam sua et quasi iure, ea bona occupet; nam stricte id venit nomine usurpationis, cf. loc. iam cit.; 3° Ut praesumptio habeatur. Non incurrunt igitur usurpantes ad publicam utilitatem vel in gratiam aliorum, nisi obligatione reali erga alios teneantur, cui bonis ecclesiasticis usurpatis satisfaciant, quia tunc vere in proprios usus seu utilitatem ea converterent. Ratio huius discriminis non obscure insinuatur in Conc. Trident., sess. XXII, cap. 11, *de reform.*, in quo primum haec excommunicatio sancita est: « Si quem... in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit ut etc. ». Voluit igitur legislator et vult in iure novo radicem huius criminis, scilicet cupiditatem bonis ecclesiasticis inhiantem coercere: cupiditas vero radix etc. nonnisi illa est, quae impellit ad usurpationem in proprium commodum. Neque de facto usurpantes communiter alio motivo moventur. — Neque incurrunt qui bona ecclesiastica furantur, quia non tanquam sua, seu iure sibi debita, accipiunt. — Neque qui nomine et auctoritate vel mandato alterius usurpant; quia tunc nonnisi alter, cuius nomine etc. agunt, bona tanquam sua usurpat, per alios scil. et censuram incurrit. Ideo in can. dicitur *per se* vel *per alios* in proprios usus etc. — Neque qui ex ignorantia, quantumvis crassa et supina; sive facti, sive iuris, sive poenae: vel metu usurpaverint.

Verum quinam veniunt sub hoc nomine *usurpantes:* suntne illi etiam, qui praedicta bona ab aliis primo usurpata emptione, donatione, haereditate, vel quolibet alio contractu acquirunt? — Quidam affirmant, quia, etsi in usurpantium possessione, sunt et manent bona ecclesiastica, eaque contractu acquirens sua vice iterum usurpat, nam tanquam sua occupat, cum pergant ad Ecclesiam pertinere.

Attamen usurpationis nomine (cf. dicta de canone 2345

sub num. 10 praecedentis seriei) occupatio intelligitur, qua bonorum suorum, quasi iure, privatur dominus: idque communiter apud DD.: neque puto in re odiosa ab hac interpretatione esse recedendum. Ideo neque qui ab usurpatoribus huiusmodi bona acquirunt, titulo oneroso vel gratuito; neque, eo magis, qui nulla usurpatione vel illegitima occupatione possident, etsi bona in suos usus convertant, ex. gr. conductor, qui mercedem non solvit; depositarius vel commodatarius, qui rem non restituit; debitor, qui debita non solvit vel decimas subtrahit; immo neque qui ipsa bona alienat, etsi hic puniatur alia excommunicatione (de qua inferius sub num. 3 excommunicationum nemini reservatarum) proprie sunt usurpantes. — Verum, si non uti usurpantes, nonne isti excommunicationem contrahunt uti impedientes? Cf. infra.

Quaestio adhuc esse potest, immo et est, utrum usurpantes (et usurpando, in proprios usus convertentes) sint tantum *publica*, vel etiam *privata* auctoritate usurpantes? — Nonnulli nimium adhuc iuri Tridentino insistentes: « si quem... quacunque is dignitate, etiam imperiali aut regali... usurpare etc. »; primum tenent: sed novo iure nihil exprimitur, quo deducatur haec limitatio; immo potius excluditur, uti supra monuimus, nova dictione neminem excludente: « si quis (ideo quilibet sit) usurpare praesumpserit etc ». Et nonne usurpat privatus quisquam, qui quocunque iuris praetextu bona ecclesiastica occupat? Concedimus huiusmodi usurpationes communius et frequentius esse potestativas, quia potestatis est figere ius, quod tamen in casu nonnisi iniuria est et manet: sed, quaesito iuris colore, possunt et privati occupare: cur igitur excluderentur?

52. - *Aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur.* — Impedire: quomodo? num usurpando et in proprios usus convertendo? — Non ita: tum quia impedientes hic manifesto alii sunt ab usurpantibus in suam ipsorum utilitatem; tum quia etiam ex iure Tridentino « minime dubitandum, quin ementes (et idem valet de aliis acquirentibus) bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem R. Pontifici reservatam; et-

enim... nulli dubium esse potest, quin comprehendantur in clarissima dispositione cap. 11, *de reform.*, sess. XXII ». S. C. S. Officii 8 iul. 1874.

Attamen nonne saltem vi usurpationis, ab aliis scil. publica auctoritate peractae, ideoque titulo iuridico, etsi in se iniusto, seu iure civili favente, impedientes? — Ita sane contra nonnullos plures, quos inter eminent em. D'Annibale, *l. c.*, num. 96 et Bucceroni, *l. c.*, num. 1202, interpretantes ius Tridentini. Ideoque, in eorum sententia, contrahunt quidem excommunicationem, qui bona ecclesiastica ab usurpatoribus, quocunque titulo domini translativo, sive immediate, sive mediate detinentes, vel eisdem (detinentibus) cooperantes, impediunt ne eorumdem fructus etc.: non alii, qui, non vi usurpationis et quasi iure, impediunt, uti fures, etsi bona ecclesiastica, vel ab aliis forte usurpata, furto possideant; vel commodatarii, depositarii, qui rem non restituendo personas ecclesiasticas privant rei emolumentis; vel conductor, qui mercedem, vel censuarius, aut emphyteuta, qui canonem; vel legatarius, qui legatum; vel parochianus, qui decimas non solvit vel subtrahit etc. Itane? Adiecta hac limitatione, quod isti de facto tantum, non iure utcunque praesumpto, praesertim faventibus civilibus legibus (secus enim essent usurpantes ut in prima parte huius canonis), retineant vel non solvant, verius in Tridentina excommunicatione, renovata per Constit. «*Apostolicae Sedis*», non comprehenduntur: idque confirmari videtur, tum ex ipso Tridentino, quod serius excommunicationem ferendae sententiae tulit in decimas ecclesiis subtrahentes vel impedientes, tum ex quibusdam S. C. S. Officii responsis, a censura excipientibus non tantum fures, sed et alios, v. gr. debitores. — Sed valetne haec interpretatio etiam in novo iure? — Videtur, quia eadem est, etiam in novo iure, substantialiter dictio. Cf. cum hoc canone verba Tridentini: « Si quem... in proprios usus convertere illosque (fructus seu reditus) usurpare praesumpserit, seu impedire ne etc. ». Ergo nisi et isti fiant usurpantes, vel privata tantum auctoritate, (cf. supra) excommunicationem non incurrunt.

Tandiu (excommunicationi scil. subiaceat) *quandiu* etc. — Merito igitur haec excommunicatio excommunicationibus ac-

censetur simpliciter reservatis, quia, contumacia etiam cessante, ab Apostolica Sede est absolutio obtinenda; non ab aliis, nisi praeditis facultate generali absolvendi a censuris papalibus vel absolvendi in particulari casu.

Conditiones tamen absolutionis sunt ut restituat, seu damnum reparet et vexationem penitus auferat. Non enim censetur a contumacia recessisse, ut requiritur ad licitam a censuris absolutionem, nisi haec, quae praestare debet, praestaverit, cum possit. Attamen in casu necessitatis absolutionis et impotentiae heic et nunc tales conditiones adimplendi, sub suscepta obligatione, et quidem in forma legali, si tempus suppetat; vel saltem, in angustia temporis, sub sincera promissione quamprimum eas adimplendi, poenitens absolvi potest a quocunque confessario, et sub poena reincidentiae extra mortis periculum. Tunc enim contumacia cessat, si poenitens praestet quod heic et nunc praestare potest.

8.

...*Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscunque dignitatis sint...* Can. 2351.

53. - *Duellum:* proprie dictum seu singulare certamen, ex condicto, privata auctoritate et armis per se letalibus vel ad mutilandum aut graviter vulnerandum aptis, susceptum; id enim est, in quod lege divina, naturali et positiva, certo prohibitum, Ecclesia speciatim animadvertit. — *Singulare certamen* seu pugna inter duos, etsi utrinque plures sint pugnantes, unus adversus alium, vel successive unus pugnet contra plures. Clemens VIII, Constit. « *Illius vices* », § 5, 17 aug. 1597. — *Ex condicto*, seu non modo mutua provocatione et acceptatione, sed etiam antea mutuo consensu, designatis loco, tempore necnon, videtur, armis, quia ita duellum, quod uti detestabile facinus, Ecclesia iam olim et deinceps (cf. Conc. Trident., cap. v, sess. XXV, *de Reform.*; Gregorii IX, Constit. « *Ad tollen-*

dum », 5 dec. 1582; Clementis VIII, Constit. « *Illius vices* », 17 augusti 1597; Benedicti XIV, Constit. « *Detestabilem* », 10 nov. 1752; Pii IX, Constit. « *Apostolicae Sedis* », 12 oct. 1869) insectata est, fieri consuevit. — *Privata auctoritate:* hoc enim est facinus, quod utpote moribus inductum lateque grassans Ecclesia voluit et vult radicitus exstirpare: quod scilicet Dei societatisque ius sibi usurpans, quis suam alteriusque vitam, futili praetextu honoris, periculo exponat. Inde intelligitur cur adiungitur: armis per se letalibus vel etc.

Ergo huc non pertinet: sive bellum, utcunque iniustum; sive duorum vel paucorum certamen ex gravi causa, ex. gr. ad bellum impediendum vel finiendum, publica auctoritate susceptum; sive pugna qua duo vel pauci subita ira excandescentes congrediuntur, etsi ad aliquem pergant locum, quo liberius pugnent; sive duellum ratione armorum, quae adhibentur vel protectionis, qua eorum efficacia retunditur, non mortale vel saltem grave periculum non afferens mutilationis aut vulnerum, etsi per accidens aliquid huiusmodi sequi possit; sive duellum, quo quis contra actualem aggressorem sese defendit.

Duellum intelligitur, sive sollemniter fiat, adhibitis nempe omnibus formalitatibus, quae solent adhiberi, seu exhibito et subscripto provocationis libello, patrinis iudicibusque designatis, aliisque conditionibus certaminis appositis; sive non, dummodo omnia verificentur, quae in tradita iam definitione continentur.

Neque excommunicationem effugiunt illi « inter quos pactiones initae sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit. Hi enim vere duellum perpetrant, dummodo tamen duellum de se letale sit », Bucceroni, *Institut. Theol. Moral.*, num. 1185, vel graviter periculosum.

Perpetrantes: seu de facto committentes, sive publice sive privatim, etsi incolumes evadant.

54. - *Aut simpliciter ad illud provocantes:* serio scil. et cum animo vere provocandi, etsi non ex animo pugnandi, eo quod praevideant duellum impediendum fore; sive verbis,

sive scriptis, sive quocunque alio signo provocent. Ideoque censura incurritur, etsi duellum de facto non sequatur; immo nihil fiat, post provocationem, quo duellum proxime paretur, nam, cum censura sit in simpliciter provocantes, ea imponitur non propter duellum, sed propter provocationem.

55. - *Vel ipsum acceptantes:* simpliciter nempe acceptantes, etsi neque provocaverint, neque vel deinde certent. Idem valet atque de provocantibus dictum est.

56. - *Vel quamlibet operam aut favorem praebentes:* Comprehenduntur omnes positivi cooperatores, non modo principales, sed etiam secundarii, uti patet ex verborum universalitate, quae pronomine *quamlibet* adhuc accentuatur: ergo mandantes, consulentes, comitantes, patrini, testes, armorum magistri, nuntii, dictantes libellos provocatorios, eos scribentes vel afferentes vel affigentes etc. — Operam tamen aut favorem praestantes, seu cooperatores *ad duellum*. — Quid vero si duellum non sequatur vel pugna, quae sequitur, non sit duellum, utpote simulata vel saltem non verificans duelli conditiones? Probabilius censuram non incurrunt, quia, quotiescunque censura fertur propter cooperationem ad crimen, intelligitur, nisi aliud ex verbis legis eruatur, effectu secuto. Nec refert quod ipsi ignorent sequentem pugnam tantum specie vel non proprie, seu iure, esse duellum; quia eorum ignorantia vel error non potest obiectivam rei veritatem immutare. Et sane, vero duello non secuto, proprie dici non possunt duelli complices et cooperatores. — Inter cooperatores autem merito recensentur etiam medici et confessarii, etiamsi in domo vicina vel loco propinquo sistant, parati suum praestare ministerium, saltem si hoc ex condicto fiat; nam sic vere favent et complices exsistunt.

57. - *Nec non de industria spectantes.* Id accipiendum sensu antecedente, non mere concomitante: ideoque ii comprehenduntur qui eo fine ad duelli locum sese conferunt, ut duello assistant; non vero illi, qui casu per duelli locum transeuntes, curiositate ducti, obiter aspiciunt. *Casu* et *obiter;* nam

profecto, si ibidem consisterent hoc animo, duellum scil. mox futurum spectandi et spectarent, de industria agerent et censuram non effugerent; nisi forte a longe aspicerent, vel in secreto, vel alio modo nihil ad pugnam acuendam conferente. — Certo tamen non sunt de industria spectantes illi, qui locum duelli adeunt ad illud impediendum; nam rem optimam praestant.

58. - *Illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes.* Huic ergo excommunicationi subiacent civiles et militares auctoritates; non modo si positive permittant duellum fieri, eoque magis si exigant, ut praesertim inter milites in certis adiunctis: sed etiam, si cum possint et debeant ex officio, non impediant.

Cuiuscunque dignitatis sint. Ergo etiam principes temporales duellum non prohibentes et, quantum in ipsis est, non exstirpantes in suis terris. — Haec tamen verba ad omnia referuntur quae praecedunt; ideoque non modo duellum permittentes, vel non impedientes; sed etiam perpetrantes, provocantes vel acceptantes, quamlibet operam aut favorem praebentes, de industria spectantes, omnes excommunicantur, licet supremi principes.

9.

Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes..... Can. 2388, § 1.

59. - *Clerici in sacris constituti:* ideo vel tantum subdiaconi; non alii, tonsura nempe vel minoribus solum ordinibus, clerici.

60. - *Regulares aut moniales post votum sollemne castitatis:* ergo professio votorum simplicium, etiam perpetuorum, non sufficit.

Ad censurae effectum requiritur omnino ut ordinatio sacra vel sollemnis professio valida fuerit; nam secus neque clerici in sacris neque regulares aut moniales essent, nisi specie tenus;

neque eorum ignorantia vel error quidquam efficeret, nisi ad peccatum committendum vel aggravandum. — Porro in dubio validitatis obiectivo, dubia nullaque foret censura: in dubio autem tantum subiectivo, censura vim suam exsereret vel non, prout ordinationis vel professionis validitas obiective verificaretur vel non. Attamen in tali dubio, subiectivo scilicet, praesumens matrimonium contrahere ad censuram servandam teneretur, quandiu ei certo non constat ordinationem vel professionem fuisse invalidam.

61. - *Itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium* etc. Non modo igitur praedicti, seu clerici in sacris vel regulares aut moniales post professionem sollemnem; sed etiam alii e statu laicali, sive viri sive mulieres, si cum eisdem matrimonium contrahere praesumant, hanc censuram incurrunt.

Quid tamen si clericus in sacris vel regularis sollemniter professus praesumeret matrimonium contrahere cum moniali sollemniter professa? nonne bis eandem contraheret excommunicationem, ex duplici nempe causa vel delicto? nam in sacris constitutus vel sollemniter professus matrimonium attentat, idque sufficit ad censuram: insuper matrimonium attentat cum moniali post sollemnem professionem, idque iterum sufficit ad censuram, praescindendo etiam ab eius statu, i. e. ordinis sacri vel sollemnis professionis. Attamen ita non videtur: nam non habetur ibidem duplex specie, immo neque proprie duplex numero delictum; sed unum idemque notabiliter gravius, eademque continuo ratio censurae. — Neque in sacris exsistens et simul sollemniter in religione professus duplicem contrahit excommunicationem, quia in utroque casu, nempe ordinationis in sacris et sollemnis professionis, eadem est legis poenalis ratio et peccatum aggravatur tantum.

Idem dicito de personis in § 2 huius canonis memoratis, scil. de professis votorum simplicium perpetuorum, tam in Ordinibus quam in Congregationibus, quas aliasque cum ipsis, matrimonium contrahere praesumentes, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata, si contrahere cum eisdem praesumentes sunt et ipsae religiosi vel religiosae votorum simplicium perpetuorum. Unam tantum excommunicationem

incurrunt Ordinario reservatam. Cf. sub num. 6 excommunicationum Ordinariis reservatarum.

Certum est etiam personas in hoc canone § 1 memoratas excommunicationem tantum contrahere simpliciter reservatam Apostolicae Sedi, et personas, de quibus in eodem canone § 2, tantum excommunicationem Ordinario reservatam, si conditiones verificentur, sub quibus utraque excommunicatio lata est et nihil aliud accedat. — Quid tamen si clericus in sacris vel religiosus sollemniter professus ausu temerario matrimonium attentaret cum religiosa votorum simplicium perpetuorum, vel monialis sollemniter professa cum religioso, qui vota simplicia perpetua nuncupavit? — Profecto uterque excommunicatione ligatur simpliciter reservata Apostolicae Sedi: sed nonne excommunicatione etiam Ordinario reservata? Etsi videretur, tamen, si quid valet ratio superius tradita, negandum, quia unum semper est crimen, gravius quidem, quod, cum puniatur excommunicatione Apostolicae Sedi reservata, sufficienter punitur, quin excommunicatio etiam adiiciatur Ordinario reservata: neque alia esse potest mens Ecclesiae. Poena maior trahit ad se minorem.

Matrimonium contrahere. En crimen, ut ex dictis iam constat, propter quod isti omnes, qui in canone nominantur, censura plectuntur, etsi nullum ratione impedimenti ordinis vel voti, ut patet, matrimonium ineant; vel etiam si, praecisive ab ordine vel voto sollemni, matrimonium aeque invalidum esset propter alia impedimenta. S. C. S. Offic. 13 ian. 1892; vel propter defectum externae formae ab Ecclesia constitutae. Sane S. C. S. Offic. 22 dec. 1880 declaraverat clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post emissum sollemne castitatis votum, praesumentes contrahere matrimonium, sic dictum, *civile* in locis, ubi lex Trident. de clandestinitate viget, incurrere excommunicationem latae sententiae, Episcopis seu Ordinariis reservatam. — Ideo in hoc canone, ne dubium reviviscat, additur: matrimonium etiam *civiliter tantum*.

Iamvero matrimonium civile carebat tunc in locis ubi decretum Trident. vigebat et nunc caret ubique, pro catholicis saltem latini ritus, can. 1099, § 1, 1°, 2°, 3°, forma veri matrimonii. Ergo non requiritur ut contrahere praesumentes huius

canonis contrahant, etsi omnino invalide, iuxta formam ab Ecclesia praescriptam; sed sufficit ut, quantum in ipsis est, contrahere intendant et exterius, quocunque ritu vel quavis caeremonia utantur, hanc suam manifestent intentionem, uti effectivam de praesenti. De praesenti, inquam, quia verba canonis intelligenda cum effectu, seu de matrimonio inito, licet non consummato.

Quid tamen si matrimonium nullum sit etiam defectu formae intrinsecae seu consensus: contrahiturne excommunicatio? Alii affirmant, quia non attenditur hic matrimonii validitas, sed ausus: alii negant, quia matrimonium neque est neque dici potest, si necessariis careat iure naturae ad validitatem; si intrinseca forma non est, nihil est. Sed distinguendum videtur: si consensus serio ponatur, etsi iure naturae invalidus, ex. gr. ex errore substantiali, excommunicatio contrahitur, quia matrimonii ausus non deest, quod vi consensus, nisi error obstaret, eodem naturae iure valeret: si e contra ficte seu simulate, excommunicatio non contrahitur, saltem ab illo, qui ficte consentit, quia simpliciter non est consensus; ideoque nullum, vel iure naturae, matrimonium possibile. Sane non intelligitur, quomodo ita consentiens, qui profecto contrahere non vult, praesumat contrahere.

Contrahere praesumentes. Ergo si contrahentes ignorantia laborent, dummodo non quaesita seu affectata, sive facti, sive iuris, sive poenae; vel minus libere contrahant ex aliqua causa, qua voluntarium minuitur, excommunicationem non incurrunt, etsi deinde scientes omnino et volentes cohabitent, quia vel non praesumunt, quando contrahunt: vel si postea praesumunt, cohabitare scil., tunc non contrahunt.

10.

Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis. Can. 2392.

62. - *Delictum* perpetrantes *simoniae.* — Delictum simoniae illud est, quo venditur-emitur pretio quocunque, sive pecunia numerata, sive alia re temporali vel temporali emolu-

mento, quod pecunia aestimari possit, spirituale vel spirituali adnexum. — *Spirituale* est quod ad ordinem pertinet bonorum salutis: sive formaliter, uti gratia sanctificans, dona Spiritus Sancti etc.; sive causaliter, uti Sacramenta et Sacramentalia, quae sanctificationem producunt; sive effective, uti remissio poenae temporalis per indulgentias, absolutio a peccatis vel a censuris, dispensatio ab impedimentis vel irregularitatibus, quae est a potestate spirituali etc. — *Adnexum spirituali* est temporale, non quodcunque, sed quod ita spirituali unitur, ut non possit pretio vendi-emique, quin spirituale simul reapse vendatur-ematur. Tale est adnexum consequenter, uti beneficio ius fructus percipiendi, quod officium supponit et est veluti eius accessorium: et adnexum concomitanter intrinsece, uti ex. gr. labor necessario insumendus in Missae celebratione, Sacramentorum administratione vel aliis divinis officiis peragendis: non vero adnexum concomitanter extrinsece ideoque separabile a spirituali, v. gr. cantus vel longum iter vel dilatio ad tardam horam pro Missae celebratione: neque adnexum antecedenter v. gr. calix vel ciborium, cui accedit consecratio, dummodo in utroque casu res spiritualis obiectum non sit, vel partiale, contractus. Can. 727, § 1; 730. — Pretio *temporali*, cuius comparatione spirituale maxime vilipenditur: ideoque simonia ad speciem reducitur sacrilegii realis: comparatur vero emptione-venditione, qua spirituale pretio aestimatur. Neque enim est simonia, cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel legitima consuetudine recognito. Can. 730.

Porro cum spirituale vel spirituali adnexum pretio venditur-emitur, ad simoniam sufficit, sine expressa conventione, vel, eoque magis, rei traditione, animus simoniacus, scilicet animus alterum obligandi ad dandum spirituale pro temporali vel vicissim, etiam tacitus, qui tamen ex circumstantiis satis colligitur. Can. 728. Igitur vel simonia tantum mentalis in iure venit sub nomine simoniae; non mentalis quidem, quae solum in mente est et in mente latet, nam aliquo modo manifestari debet, sed qua contradistinguitur a conventionali et reali, etsi delictum simoniae consummatum non habeatur, nisi conventione expressa vel tacita ad effectum deducta.

Distinguebatur iam in iure a simonia communi simonia *confidentialis*, seu circa beneficia. Verum non est cur huic distinctioni nunc insistamus, tum quia distinctio est mere materialis, intuitu tantum specialium poenarum, quibus simonia confidentialis plectebatur; tum quia illa reservatio, ex pacto, accessus vel ingressus vel regressus quoad beneficium, quae propria erat simoniae confidentialis, in hodierno iuris statu vix possibilis est; tum quia canon, de quo agimus, nulla facta distinctione, excommunicationi subiicit crimen simoniae in officiis, beneficiis aut dignitatibus, quocunque modo committatur. — Et simoniacae profecto sunt omnes pactiones inter collatorem vel alios, qui iure concurrunt ad provisionem, et provisum de quacunque solutione vel compensatione facienda in eorum favorem, sive ex fructibus beneficii, sive ex aliis rebus. — Immo, etiam sine pacto explicito, omnes deductiones ex fructibus, compensationes ac solutiones a clerico in actu provisionis faciendae, quae collatori, patrono aliisve cedant, tanquam simoniacae reprobantur. Can. 1441.

Iamvero nullo dubio simonia committitur, si contractus, vel tacitus, in hisce interveniat inter promotum ad officium, vel beneficium, vel dignitatem et iure quomodolibet promoventem, vel praesentationis, vel electionis, vel confirmationis, vel institutionis. Sed non proprie simonia committitur, vel saltem non certo, si quis pecunia vel alio temporali emolumento emerit personae patrocinium, quae nullo iure, sed morali tantum influxu, in aliorum scil. voluntatem, qui ius habent praesentationis, electionis etc., potest officium, beneficium vel dignitatem procurare: quia ita non spirituale temporali emeretur, sed temporale seu patrocinium, quod est pretio aestimabile, neque cum officii, beneficii, dignitatis collatione necessario connexum, siquidem nullum acquiritur ius nullaque emitur in illos, qui iure conferunt, iniusta coactio.

A simonia *iuris divini*, cui congruit data definitio, distinguitur simonia iuris ecclesiastici, qua non quidem spirituale pro temporali et vicissim, sed spirituale datur pro spirituali, vel temporale spirituali adnexum pro temporali spirituali adnexo, vel temporale pro temporali: quod aliquando Ecclesia prohibet ob reverentiam erga sacra. Can. 727, § 2. — Haec pro-

prie simonia non est; tamen ad simoniam reducitur ratione legis prohibentis, cuius est actionem ponere in ea specie peccati, quae formaliter habetur per oppositionem ad illam virtutem, cuius intuitu prohibet.

Iamvero, collatis cum canone 2392, 1° can. 727 et 728, videtur simonia tum iuris divini, tum iuris ecclesiastici, sub sanctione huius censurae prohiberi. Etenim, tradita in can. 727 definitione simoniae, iuris divini § 1 et iuris ecclesiastici § 2, statuitur in canone sequenti 728 emptionem-venditionem, permutationem etc. cum agitur de simonia, late esse accipiendas, pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacitam, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur: praesens vero canon 2392, 1° sine restrictione delictum simoniae perpetrantes in officiis etc. subiicit excommunicationi.

Attamen liceat nobis aliter opinari. Sane simonia iuris ecclesiastici simonia proprie seu stricte non est; at in re odiosa stricta interpretatio facienda. Praesenti vero canone expresse excommunicantur quidem delictum simoniae perpetrantes in quibuslibet officiis etc.; sed non expresse quamlibet simoniam perpetrantes. Demum quoad can. 727 et 728, aliud est declarare quamdam simoniam etiam esse iuris ecclesiastici eamque definire, necnon simoniae crimen extendi (en lata acceptio) ad omnes pactiones vel obligationes onerosas, etiam tacitas, circa sacra: aliud vero simoniam esse continuo semperque late etiam accipiendam, seu de simonia etiam improprie dicta, iuris nempe ecclesiastici. Quum igitur contrarium, saltem certo, non colligatur ex iure, putamus praesentem censuram ad simoniam limitari iuris divini.

Perpetrantes. Ideo simonia, quae hac censura mulctatur, simonia est realis, seu ex utraque parte completa; nam reatum perpetrantes simoniae ii sunt stricte, qui pactum simoniacum exsecutioni mandarunt. Insuper, cum censura sit poena gravissima ideoque valde odiosa, delictum intelligitur consummatum iuxta naturam suam, nisi aliud eruatur ex verbis legis. Neque dicatur praecise ex verbis legis id erui, quia ex can. 728 uti supra, cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio etc., late accipiendae sunt, pro qualibet conventione,

licet ad effectum non deducta, etiam tacita etc.: nam aliud est affirmare vel simoniam mentalem esse simoniam, aliud vero simoniam quoque mentalem puniri excommunicatione. Hoc ex illo non sequitur; immo potius excluditur, quia in canone non dicitur committentes, sed perpetrantes; quod, ni fallimur, nimis esset pro significatione simoniae mentalis.

Perpetrantes esse possunt sive clerici sive alii, qui pro eisdem officium etc. simoniace obtinent: non tamen clerici officium etc. obtinentes, si, ipsis scientibus, tamen non cooperantibus, simonia in eorum favorem ab aliis committatur.

63. - *In quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis.*

« Officium, *alibi iam diximus*, stricte est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis ». Can. 145. — Ergo sub nomine officii non veniunt gradus ordinis, nec per se gradus iurisdictionis; sed illa tantum munera, quae, supposito ordine, conferuntur, quibusque potestas ordinis vel iurisdictionis vel utraque exercetur. Itaque igitur inter officia est prae primis munus papale, infra quod plurima sunt in Ecclesia munera, quae sub nomine officii stricte veniunt, quandoquidem et modum iuridicum collationis et participationem exigunt potestatis ordinis vel iurisdictionis. Hae duae notae sufficiant ut probe dignoscantur, nam nimis longa et fere inutilis esset eorum enumeratio. — Porro, excepto papali munere seu officio, pro quo speciales sunt sanctiones ex Constit. Pii X « *Vacante Sede Apostolica* » 25 dec. 1904 (Cf. Appendix huius operis) contra electores seu S. R. E. Cardinales, qui huius canonis excommunicationi non subiiciuntur, si pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibusque obligationibus, eoque magis simoniae vitio infectis, sese adstrinxerint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum, omnia alia, quaecunque sint officia, in quibus quomodolibet procurandis simonia committi possit et committatur, in hoc canone comprehenduntur.

Beneficium iterum stricte sumptum « est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos ». Can. 1409. — Diversimode distinguitur, prout officium sacrum secum affert onus tantum preces fundendi altarique inserviendi, vel insuper iurisdictionem unius aut utriusque fori, praeeminentiam etc.; sed quoad effectum huius censurae nullum est discrimen inter beneficium et beneficium. Sive maius sive minus, sive duplex sive simplex, sit beneficium, simonia, utcunque committatur, conventione etiam tacita, ad effectum tamen deducta, vel circa solutiones, praestationes vel quid simile, onus afferens beneficiato, emolumentum vero conferenti vel procuranti, sub sanctione comprehenditur huius canonis.

Officium igitur adaequate distinguitur a beneficio, quia officia sunt quae non sunt beneficia; sed non vicissim seu beneficium ab officio, quia beneficium est etiam officium. In beneficio tamen est aliud, praeter officium, de ipsius beneficii ratione, ius scilicet percipiendi fructus, quod est temporale spirituali, officio nempe, intrinsece adnexum, quodque directe obiectum esse potest contractus simoniaci sub hac censura prohibiti.

Dignitates per se sunt beneficia, quibus adnexa est praecedentia cum aliqua iurisdictione et administratione. Dividuntur in maiores et minores: illae sunt Praelaturae, istae quaedam praebendae in Capitulis. Hodie tamen, exceptis Praelaturis, generatim dignitates iurisdictione et administratione carent, ideoque de facto sunt meri personatus. Attamen, sive iam olim eis adnexa fuerit iurisdictio, sive contigerit ex statuto vel consuetudine ad honorem eas constitui, in praxi habentur ut verae dignitates et sub sanctione cadunt huius canonis.

Iterum igitur beneficium et dignitas non convertuntur, tum quia non omnia beneficia sunt dignitates, tum quia, etsi per se sit, non tamen necessario et semper dignitas est beneficium: vel saltem beneficio praeexsistenti et possesso accedere potest. Hinc merito dignitates ab officiis et beneficiis distinguuntur. At manifesto heic non comprehenduntur dignitates (et officia) in Ordinibus religiosis: neque, saltem videtur, di-

gnitates, quae nullum beneficium nullumque proprie munus involvunt, sed meri sunt tituli honorifici, illi ex. gr. quibus plurimi in Urbe et in Orbe decorantur et adsciti dicuntur in domum pontificiam.

11.

Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint... Can. 2405.

64. - *Vicarius Capitularis:* ille scilicet, qui electus a Capitulo vel, negligente Capitulo, ab eo, cui iure devolvitur electio, c. 432, § 1, § 2, § 3, administrationem suscipit dioecesis, sede vacante.

65. - *Aliive omnes tam de Capitulo quam extranei:* ergo nemo, sive clericus sive laicus, excipitur; sed, semper intelligitur, sede episcopali vacante, tum ex tenore, tum ex fine huius canonis, qui profecto alius esse non potest, nisi ut successori Episcopo status dioecesis gubernandae in sua integritate transmittatur.

Documentum quodlibet etc. Ergo non tantum illa, quorum originalia vel transcripta in archiviis asservantur; sed alia etiam, quaecunque sint, de quocunque negotio in Curia episcopali expediendo, sive spirituali sive temporali: etiam rescripta caduca, immo et libelli supplices ad Episcopum, qui iure ad Episcopum successorem diriguntur. — Attamen non videntur haec verba intelligenda de documento etiam minoris valoris, ex cuius destructione etc., nullum praeiudicium aut saltem non grave, vel bono rectae administrationis dioecesis vel privatorum sequi possit.

66. - *Subtraxerint:* seu e loco asportaverint animo non restituendi.

67. - *Destruxerint:* lacerando, comburendo, penitus abradendo etc.

68. - *Celaverint:* seu de industria occultaverint, etsi non asportando, ita ut non amplius absolute vel de facili inveniri possit.

69. - *Substantialiter immutaverint:* ita scil. ut sensus originalis, saltem quoad principale documenti obiectum, evadat alius.

Sive per se sive per alium: scilicet subtraxerint, destruxerint etc. — Per alium non dicitur agere nisi ille, cui tanquam causae principali, effectus imputatur. Hinc sub hoc inciso non veniunt omnes cooperatores positivi ad effectum destructionis etc. Per alium facit ille, qui mandato, timore incusso, praemio proposito, fraude, deceptione alium inducit ad destruendum, occultandum etc.: non vero ille, qui suasione tantum vel precibus vel viam ostendendo ad id perficiendum, ad crimen concurrit. — A fortiori non includuntur qui documenta suae custodiae commissa non custodiunt; vel eo etiam, quia, non custodiendo, proprie non occultant, non destruunt etc.

Ad censuram requiritur et sufficit factum, seu ut quis reapse subtraxerit, destruxerit etc., etsi deinde nullus effectus intentus vel praevisus, v. gr. impediendi alicuius gratiae concessionem, nullumve damnum sequatur.

Series IV.

Excommunicationum scil. « Ordinariis » reservatarum.

Excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae subiiciuntur:

1.

Catholici:

1° *Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum* can. 1063, § 1;

2° *Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;*

3° *Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;*

4° *Parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.* Can. 2319.

70. - Igitur 1° *Qui matrimonium ineunt* etc. — Canone 1063, § 1 coniuges prohibentur, obtenta etiam dispensatione super impedimento mixtae religionis, adire, sive ante sive post matrimonium, in Ecclesia initum, sive per se sive per procuratorem, ministrum etiam acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si nequeunt coniuges ministrum acatholicum adire vel in casu, quo una pars sit acatholica et dispensatio obtenta ad verum matrimonium celebrandum in facie Ecclesiae, idque sub poena excommunicationis, utique in coniugem catholicum (constat ex 1° eiusdem can. 2319; neque Ecclesiae mos est censuras ferre in acatholicos), eo magis, si pars catholica cum acatholica vel, quod adhuc scelestius est, utraque pars catholica, tantum coram ministro acatholico contraheret, excommunicationem incurreret.

Nomine ministri acatholici venit minister cuiuscunque sectae religiosae, haeresi vel schismate ab Ecclesia catholica separatae. Comprehenduntur igitur etiam ministri ecclesiae sese dicentis catholicae independentis, quae in hac regione (Foederatis Statibus Americae) coepit propagari, quaeque inter suos ministros plures numerat sacerdotes, qui a catholica hierarchia sese subduxerunt.

Ad censuram tamen incurrendam requiritur, ut constat ex verbis canonis nuper citati, ut recursus fiat ad ministrum acatholicum, *qua talem*, seu uti sacris addictum, coram ipso contrahendo seu, potius, attentando, matrimonium religiosum. Nam si minister non agat ut religionis minister, sed uti syndicus vel civilis magistratus pro matrimonio mere civili, nulla censura; immo neque peccatum, si haec etiam forma, mere civilis, a Statu exigatur, can. 1063, § 3.

71. - 2° *Qui matrimonio uniuntur cum pacto* etc. — Pactum illud de prole educanda extra catholicam Ecclesiam supponere videtur matrimonium mixtum celebratum vel celebrandum in ecclesia catholica cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis, quae dispensatio profecto non conceditur, nisi sub hac inter alias conditione, ut tota proles catholice educetur. Nam absonum est et nimis alienum ab

humanis moribus, ut duo catholici contrahant cum hoc pacto; sed hoc facillime contingit in matrimoniis mixtis, quae ideo prae oculis censetur Ecclesia habuisse in ferenda hac censura. Nemo tamen dubitat hac eadem censura puniri, eoque magis, catholicos inter se contrahentes, si cum hoc pacto contraherent.

Porro huiusmodi pactum, i. e. ut omnis vel aliqua proles extra catholicam Ecclesiam educetur, debet matrimonium praecedere vel comitari; nam si matrimonialem consensum subsequatur, non *uniuntur matrimonio cum pacto.* — Idem eadem ratione dicendum, si pactum praecedens fuerit, saltem ab una parte, ante matrimonium retractatum. — Sufficit vero pactum implicitum, cuiusmodi esset, si pars acatholica non acceptaret conditionem de prole catholice educanda et tamen pars catholica adhuc cum ea contraheret. Ad pactum tamen implicitum non sufficit ut parti catholicae tantum constet de mala fide alterius, si nempe mere praevideatur coniux conditionem catholicae educationis prolis non servaturus.

72. - 3° *Qui scienter liberos suos* etc. — Hoc, de filiis scil. acatholico ministro non offerendis ut ab eo baptizentur, tum de natis valet ex matrimonio sive catholico sive mixto, tum de natis extra matrimonium, vel ex catholicis vel ex catholico cum acatholica aut vicissim, nam canon generatim loquitur et illegitimi etiam sunt filii, quibus parentes in primis tenentur baptismi beneficium procurare.

Censuram contrahunt qui *liberos suos:* ergo parentes tantum, legitimi vel naturales, catholici tamen, non alii. — *Offerre:* ergo non qui mere sinunt offerri, etsi peccare possint, puta, uxor catholica in matrimonio mixto. — *Acatholico ministro,* cuiuscunque sectae, sive publice sive privatim baptizet. — *Scienter praesumunt:* ergo ignorantia, etiam crassa et supina, vis, metus excusant. Non tamen censuram videntur contrahere parentes, qui in casu necessitatis seu periculi mortis, deficiente ministro catholico, qui baptizet, operam exquirant ministri acatholici, si hic validum baptismum ministret: tunc enim non uti minister baptizat, sed uti alius quilibet in eodem casu necessitatis. Sed semper alius est praeferendus, etiam mulier, etiam baptizandi parens.

73. - 4° *Parentes vel parentum locum tenentes* etc. — Hac censura mulctantur non tantum parentes catholici, tum legitimi tum naturales; sed etiam alii, puta, avus, avia, tutor, curator, aliique, catholici nempe, qui loco parentum vel defunctorum vel absentium aut patria potestate privatorum, liberorum curae et educationi ex proprio munere incumbunt, si eos *scienter*, seu ignorantia non excusante, quae affectata non sit etc. (cf. supra saepiusque repetita) *in religione acatholica educandos seu instituendos tradant.*

Iamvero in religione acatholica educari seu institui idem non est atque ab acatholicis educari vel institui v. gr. in liberalibus disciplinis: sed debet religio subiectum esse disciplinae, seu educationis vel institutionis. Hinc censuram non incurrunt catholici, etsi per se a peccato non excusentur, qui liberos suos mittunt ad scholas publicas vel plane areligiosas vel ad collegia protestantium, in quibus institutio religiosa, si quae sit, alumnis reservatur protestantibus, aliis in sua libertate perfecte manentibus; nisi forte sectae proselytismus eousque procedat, ut periculum perversionis vix vitari possit, idque parentes aliive noverint.

Et nonnisi qui tradunt, parentes vel parentum locum tenentes, excommunicantur: aliis nempe, seu ministris vel sectatoribus religionis acatholicae. Ergo si parentes vel alii, qui parentum locum tenent, liberos ipsi acatholice educent, sive positive, eos instituendo in falsa religione, sive negative, nullam eis religiosam educationem procurando, hanc excommunicationem non incurrunt.

Notandum quod in eodem hoc canone § 2 ii, de quibus sub numm. 2°, 3°, 4° uti suspecti de haeresi declarantur. Confer secundam seriem excommunicationum seu speciali modo reservatarum sub num. 2.

2.

Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit... Can. 2326.

Quanta cura Ecclesia advigilaverit ut nonnisi reliquiae authenticae fidelium venerationi et cultui exhiberentur, constat tum ex Trident., Sess. XXV *De invocatione, veneratione*

et reliquiis Sanctorum, necnon ex Bullis Romanorum Pontificum, ut Urbani VIII, Benedicti XIV, Clementis XIII; tum ex institutione specialis Congregationis, cui materia de Reliquiis et Indulgentiis concredita fuit. — In novo autem iure, can. 1283, praescribitur eas solas reliquias in ecclesiis, quamquam exemptis, honorari posse quas genuinas esse constet authentico documento alicuius S. R. E. Cardinalis vel Ordinarii loci vel alius viri ecclesiastici, cui facultas authenticandi indulto apostolico sit concessa: praesenti vero canone 2326 excommunicatio Ordinario reservata fertur in conficientes, scienter vendentes, distribuentes, publicae fidelium venerationi exponentes reliquias falsas.

Reliquiae sunt partes corporis aut vestium aliusve decentis rei personali usui immediate inservientis, Sanctorum vel Beatorum: vel instrumentorum passionis Martyrum et in primis Iesu Christi. — Reliquiae vero insignes sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva. Can. 1281, § 2.

74. - *Qui falsas reliquias conficit.* — Falsas reliquias conficere non est mere aliquid ut reliquiam falso exhibere; sed falsis signis et sigillis eam ita munire ut ementitam authenticitatem acquirat et fideles per se decipiantur; immo eo animo ut decipiantur, eisdem reliquiis quasi veris venerationem exhibentes, etsi per accidens nulla sequatur deceptio, quia, puta, fraus detegitur. Etenim finis legis est praecavere ne aliquid in cultu, vel tantum materialiter falsum, introducatur: hinc non videtur sufficere merum factum falsificationis, nisi una simul intendatur vel saltem praevideatur effectus cultus falsi. Num censuram incurrit qui reliquias conficit ut experiatur quid possit ars vel artificium in hoc genere falsi, praesertim ad fraudes detegendas; vel certe easdem statim destructurus aut eisdem non usurus? Non incurrit, sicut non incurrit excommunicationem speciali modo reservatam, qui documenta falsat Apostolicae Sedis non ex dolo malo, ea vel laceraturus vel eis non usurus.

75. - *Aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit.* — Scienter, ideoque in dubio, etiam graviter culpabili, sive facti, sive iuris, sive poenae, vendendo, distribuendo, publicae venerationi exponendo, quis hanc censuram non incurrit.

Vendit, sive publice sive private, sive per se sive per alios. Palam vero est venditionem, utpote ex causa motiva falsa, esse nullam : quae ceteroquin nefaria esset, etiamsi ageretur de reliquiis veris, can. 1289, § 1 : nulloque iure pretium retineri.

Distribuit: verius non uni tantum vel alii, sed pluribus, quia haec proprie vis est huius verbi. Et ratio videtur esse, quia, si pluribus, falsarum reliquiarum cultus sane propagatur: quod Ecclesia potissimum vult cohibere.

Publicae fidelium venerationi exponit. — Ergo non incurrit qui eas non publice in ecclesia vel oratorio, vel saltem in loco publico, sed privatim, v. gr. in cubiculo vel in sacello domestico, venerationi exponit, etsi cum aliis eo advenientibus ante eas genuflectat et oret. — Immo vel publice exponens non quilibet intelligi potest, qui publice exponat; sed ille tantum cui iure competit fidelium venerationi reliquias exponere: hic ideo certo non veniunt laici.

Omnia, quae praecedunt de venditione, distributione, publicae venerationi expositione, dicuntur de reliquiis falsis: non vero de reliquiis dubie authenticis, eoque minus de authenticis, quarum authenticitatis documenta perierunt, etsi neque istae possint venerationi publicae exponi, nisi praecedat iudicium Ordinarii loci. Can. 1285.

3.

Qui in personam... clericorum vel utriusque sexus religiosorum... violentas manus iniecerit. Can. 2343, § 4.

76. - *Clericorum:* iis tamen exceptis, in quorum personam idem crimen commissum secum fert excommunicationem Sanctae Sedi specialissimo modo (Romano Pontifici, cf. sub n. **4**) vel speciali modo (S. R. E. Cardinalibus, Legatis Romani Pontificis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis etiam titularibus

tantum, cf. sub num. **30**) reservatam. — Clericorum, omnium scilicet, qui per diversos ordinis gradus, tum maiores tum minores, ad ecclesiasticam pertinent hierarchiam, vel prima tonsura initiatorum.

Cum vero hoc privilegium non clericorum (vel religiosorum) personis, sed coetui concessum sit, non possunt clerici (vel religiosi) eidem renuntiare. Idem tamen aliaque amittunt, si ad statum reducantur laicalem aut iure deferendi habitum ecclesiasticum perpetuo priventur. Can. 123.

Vel utriusque sexus religiosorum. — Ideo non tantum regularium et monialium, sed et omnium sodalium societatis, a legitima ecclesiastica auctoritate approbatae, qui secundum proprias ipsius societatis regulas, vota publica perpetua vel temporanea, elapso tamen tempore renovanda, nuncuparunt atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt. Can. 488, 1°. — Clerici igitur vel laici, viri vel mulieres, Ordinis vel Congregationis, exemptae vel non exemptae, iuris pontificii vel dioecesani, si vota saltem temporanea nuncuparunt, hic comprehenduntur.

Nonne etiam novitii novitiaeque? nam etiam novitii (et novitiae) fruuntur clericorum privilegiis, can. 614; eisdem scil. quibus clerici gaudent, quae inter primum est illud ut eis reverentia debeatur quae non sine sacrilegio per realem iniuriam in personam violaretur. Can. 119. — Videretur negandum; nam aliud est privilegium iuris divini, quo vel novitiis religionis, utpote iam quodammodo Deo dicatis, sicut et clericis, inferri non possit realis in personam iniuria sine sacrilegio; id enim naturam consequitur eorundem status: aliud est ecclesiasticum privilegium, quo talem iniuriam inferentes incurrunt excommunicationem. Porro excommunicatio fertur in violentas manus iniicientes in clericos vel *religiosos;* sed novitii, etsi participent in omnibus privilegiis et gratiis religioni concessis et mortui in eisdem suffragiis, quae pro professis praescribuntur, can. 567, § 1, tamen stricte religiosi non sunt. — Neque mirum id videatur, nam et clerici et religiosi privilegium etiam habent divinum, quo a foro laicali, praesertim criminali, eximuntur: tamen privilegium ecclesiasticum, quo ius exemptionis firmatur, non est idem pro omnibus

fori privilegio gaudentibus. Sane in laicos violantes fori privilegium contra personas ecclesiasticas, Episcopis inferiores vel si agatur de religiosis, in omnes, exceptis supremis religionum iuris pontificii Superioribus, neque excommunicatio latae sententiae sancitur.

Attamen contra sententiam communem novitii excluderentur, a qua non est discedendum. Cuius sententiae ratio haec videtur esse, quod etsi censura sit quid odiosum, causa tamen, qua censura fertur, est maxime favorabilis, tuitio scil. status et dignitatis personarum, quae segregatae a saeculo, Dei servitio mancipantur. Tales autem sunt non tantum clerici, vel per simplicem tonsuram, sed etiam novitii religionum. Et isti igitur in favorabilibus sub nomine veniunt religiosorum.

Si ita, praesertim si recte concluditur ex novo iure, non tantum novitii novitiaeque comprehenduntur; sed omnes etiam sodales in societate, sive virorum sive mulierum, qui vel quae vivendi rationem religiosorum imitantur, in communi degentes sub Superiorum regimine, secundum probatas constitutiones, etsi tribus consuetis votis publicis non obstringantur, nec ideo proprie in religione vel religiosi sint, can. 673, § 1; nam sodales isti, etiam laici, clericorum gaudent privilegiis, can. 680. — Ideo etiam Tertiarii, si habitum gestent et in communitate vivant: et mulieres in conservatoriis: aliique omnes sub eisdem conditionibus.

Certo tamen mulieres et, in virorum religione, conversi, postulatum peragentes, cum nec lato sensu religiosae religiosive sint nec clericorum privilegiis gaudeant, huius canonis privilegium non habent.

Religiosus vero, etiam clericus, in minoribus ordinibus constitutus, legitime dimissus, can. 647, eo ipso a votis solvitur religiosis, sive temporaneis, can. 648, sive, si constitutiones vel Sedis Apostolicae indulta ferant, can. 669, perpetuis, et ad statum reducitur laicalem, can. 648: ideo hoc privilegium amittit. Idque eo magis valet de novitio vel professo votorum temporaneorum, qui expleto novitiatus vel professionis tempore, ad saeculum redeat. Cann. 574; 575.

4.

Procurantes abortum, matre non excepta... effectu secuto... Canon 2350, § 1.

77. - *Procurantes abortum:* sunt qui abortum intendunt et efficaciter causant, sive soli agant sive cum aliis immediate concurrant. Utrumque igitur, intentio scilicet et opus, efficax quidem, requiritur ad censuram incurrendam. — Intentio, quia procurare est studiose et de industria quaerere, nec potest quidquam ita quaeri, nisi directe intendatur: ideo si actio est quidem causativa abortus; sed, etsi cum praevisione, non tamen cum intentione abortus ponatur, velut si quis mulierem praegnantem iratus percusserit, nulla censura. — Opus efficax etiam, quia secus, non obstante intentione, procuratio non esset.

Iamvero non omnia opera seu media sunt aeque efficacia: sed alia certo, uti scissio vel perforatio secundinae, qua foetus involvitur: alia dubie, ut subministratio quorumdam pharmacorum. — Insuper vel nonnisi abortum, saltem immediate, vel etiam effectum bonum immediate et, vel una simul vel mediate aut consequenter, etiam abortum causare possunt.

Profecto, si media adhibita, sive certo sive dubie efficacia, dummodo tamen abortus sequatur, natura sua, ideoque ex intentione etiam agentis, sint tantum abortus causativa, vera procuratio habetur sub censura prohibita. In casu enim efficacia mediorum, etsi antecedenter non certa, effectu comprobatur; et intentio, directa quidem, non desideratur, quia vel agens alium finem non habet, nisi abortum vel, si habet, abortum intendit uti medium ad illum finem; nam quilibet scienter et libere agens id intendit quod agit et quod est finis operis, etsi illud ordinare possit ad finem ulteriorem. Haec est directa abortus procuratio, intentione simul et actione, quae nunquam licet, ne ad vitam quidem matris servandam vel spiritualem vitam prolis procurandam. Non sunt facienda mala ut eveniant bona. — Si vero non ita; sed ex opere abortus etiam sequatur, vel aeque immediate vel mediate aut consequenter, tunc abortus

est, saltem opere, indirectus, qui aliquando licite permittitur, quando scilicet effectus bonus, qui ex opere vel remedio adhibito oritur, effectui malo praeponderat, qui est abortus, ex. gr. in periculo vitae matris ex morbo vel praegnantia, si tali abortu, vi medii vel remedii adhibiti, tantum indirecto, foetus in conditione peiore non ponatur: tunc enim ius matris praevalet. Et si abortus quidem licite permittitur, etsi perversa sit agentis intentio, abortum nempe velit, nulla censura, quia actio obiective criminalis non est, quam lex intendit punire.

Quid tamen si abortus sit adhuc illicitus, quia causa agendi proportionata non occurrit, sicut in casu, qui practice videtur unicus, morbi matris periculosi? Loquimur, uti patet, in hypothesi quod opus per se sit et non per accidens tantum, abortus etiam causativum, ex. gr. medicamenta sumere etiam foetui nociva in morbo levi; labores nimis arduos assumere sine necessitate; choreas ducere, saltem immoderate; equitare, curru iter facere per indirecta et invia; balneis nimis calidis uti, aliaque, quae non necessario ex intentione abortus, sed etiam ex aliqua honesta causa fieri possunt. Certo, si ex intentione abortus haec suscipiantur et fiant, abortu ex illis secuto, censura vitari non potest. Quid enim desideratur? non intentio, ut patet; sed ne opus quidem, quia opus influit per se et quidem graviter, uti effectu comprobatur, in abortum: et nulla opus iusta causa cohonestatur. Ideo vere abortus intentione et opere procuratur. — Si vero non ex abortus intentione, sed alia de causa, quantumvis insufficiente vel vana, v. gr. sanitatis citius recuperandae, exercitii, recreationis etc., etsi abortus praevideatur, quamvis peccatum per se grave non vitetur, censura tamen non contrahitur, quia deest intentio abortus, quae non necessario adest, quando finis ipsius operis est etiam aliquid aliud, in quod voluntas fertur; idque praesertim, quando ex opere abortus non est certo secuturus. Multo magis idem dicendum, si abortus ex opere oriatur solum per accidens, v. gr. si quis mulieri praegnanti ex ioco vel ad aliquid extorquendum metum, vel gravem, incuteret.

Ex dictis satis constat veram abortus procurationem non haberi nisi opere physice efficaci, ex quo scilicet iuxta leges

naturae physicae abortus sequatur. — Ideo non comprehenduntur qui moraliter tantum, v. gr. mandato, consilio, favore etc., ad abortum concurrunt: nam isti non sunt stricte procurantes, sed potius mandantes, consulentes etc., procurari. Neque illi comprehenduntur, qui in ipso opere physico immediate non concurrunt, ex. gr. pharmacopola, qui medicamentum vel instrumentum sciens volens subministrat; qui chirurgum advocat vel introducit; qui ea praeparat, ex. gr. acum, potionem, balneum, quibus vel mater vel alius utitur ad criminis exsecutionem; immo nec qui potionem praegnanti tantum praeberet seu offerret. Sed e contra non excluditur qui mulierem praegnantem in balneum immitteret vel ad medicinam potandam adiuvaret.

Abortum. Nomine abortus non venit hic exstinctio tantum vitae foetalis in utero, vel eiectio foetus viventis quidem, sed prioribus tribus mensibus gestationis, quando foetus est solum in embryone, nondum satis definitam habens formam humanam, uti saepius apud medicos; sed universim eiectio foetus immaturi seu non vitalis, extra uterum matris, quocunque tempore gestationis contingat. — Foetus vero non est vitalis extra uterum, saltem in ordinariis circumstantiis, intra octo et viginti hebdomadas a conceptione. *In ordinariis* etc.; nam, si foetus in hospitali edatur sub cura medica et adhibitis modernis inventis ad eius vitam fovendam et servandam, foetus vitalis esse potest a vigesima sexta hebdomada post conceptionem. Intra initium vitalitatis extrauterinae et perfectam maturitatem (hebdomada trigesima octava) locus iam amplius abortui esse non potest, sed tantum partui accelerationi, quae illicita non est, si perficiatur iustis de causis et eo tempore et modo, quo ex ordinarie contingentibus matris et foetus vitae consulatur. S. Offic. die 4 maii 1898. — *Quocunque gestationis tempore:* ideoque sive foetus animatus sit sive inanimatus, ut plures adhuc tenent pro primis saltem conceptionis diebus; nam lex non distinguit. Hinc vel ab ipso initio conceptionis eiectio foetus merito abortus habetur et est. *Conceptionis*, seu initii processus fermentationis: non tantum receptionis seminis, cuius expulsio statim, vel brevi sane, post copulam abortus certo non est.

Attamen practice non facile constat de conceptione seu praegnantia primis a coitu diebus vel hebdomadis: immo tribus prioribus mensibus signa omnino certa praesto non sunt, etsi et menstrua cessaverint et quaedam uteri dilatatio cum pectoris emollitione subsecuta sit. Ideo utrum abortus reapse fuerit, ex eiectione seu materia ex utero eiecta, determinari debet. — Sed iterum haec determinatio, praesertim in primis stadiis processus generativi, nedum mulieri, sed vel medicae artis experto, difficilis, puto, est, nisi microscopico examini eiectum subiiciatur. Num debet mulier auxilium medici invocare et hic microscopio adlaborare ut de abortu et censura certo constare possit? Sane ridiculum: et tamen, nisi abortus sit certus, censura non contrahitur. Igitur en conclusio practica: si praegnantia certa est, quidquid ex utero eiiciatur, licet indefinitum vel indefinibile, non tamen corruptum, ideoque certo non vivum, abortus est: si e contra praegnantia non est certa, nisi ex eiectis certa appareant signa processus formativi, non obstante gravissimo peccato, abortus non praesumitur, neque ideo censura contrahitur.

Abortum: eiectionem scilicet foetus non vitalis extra uterum. Ergo si artificialiter et criminosa voluntate foetus eiiciatur iam mortuus, qui putabatur vivus, nulla censura. — Item operationes directe laesivae et occisivae foetus v. gr. craniotomia, embryotomia etc., quibus foetus conciditur et occiditur, ut extrahatur vel naturaliter deinde effundatur, quibusque haud raro utuntur chirurgi, etsi adhuc magis criminosae, sub censura non cadunt, quia non veniunt proprie sub nomine abortus.

78. - *Matre non excepta.* — Opinio igitur, olim probabilis, quae ceteroquin post Constit. « *Apostolicae Sedis* » iam nullo amplius solido fundamento nitebatur, mulierem praegnantem censuram non incurrere, est obsoleta et reiicienda.

Attamen matre non excepta, abortum videlicet *procurante.* Quid tamen si mater non ipsamet, seu suo opere, procuret, sed opere alterius, puta, medici vel obstetricis, cuius opem imploret: nonne potius mandat procurari et est a censura immunis? Ita sane, saltem probabiliter et theoretice, si ipsa concipiatur in ipso opere, quo abortus procuratur, passive

omnino sese habere: sed ita practice non est, quia deliberate operationi sese submittendo, in ipsa operatione immediate concurrit.

Neque quis subtilitatum amator dicat in casu non haberi cooperationem in actione, quod requiritur ad censuram, sed tantum actioni, quod non sufficit. Nam respondetur: primo, id non esse necessarium, siquidem sufficit cooperatio immediata; in casu autem cooperatio est immediatissima: secundo, cooperationem in ipsa actione non desiderari, quia actio non potest considerari praecisive a conditionibus concretis, quibus fit possibilis.

79. - Quaestio adhuc fieri potest, immo fit, utrum mater quae e gravi metu abortum in se procuret, censuram incurrat? — Et cur non etiam alii operatores vel cooperatores, si gravi metu adigantur? Erat apud DD. probabilior, immo et communissima sententia, legem violantem latam sub censurae sanctione, non modo ecclesiasticam (nam tunc metus seu grave incommodum impendens vel probabile ordinarie a peccato etiam excusat, quia legis obligatio cessat); sed etiam naturalem et divinam, etsi non a peccato, tamen a censura excusari. Et huius ratio est, quia ad censuram incurrendam requiritur contumacia et quidem contra Ecclesiam censuram comminantem: iamvero qui legem, vel naturalem aut divinam, ex gravi metu violat, quamvis peccet, naturae potius infirmitate, quam obstinatae voluntatis malitia peccat; ideoque haberi non potest uti contumax et potestatis Ecclesiae contemptor; immo non immerito censetur lex, qua ecclesiastica est, cessare. — Tamen casus communiter excipiebatur, quo, vel ipsius legis ecclesiasticae, nedum naturalis et divinae, violatio cederet in publicum scandalum vel damnum, vel in contemptum fidei, religionis, auctoritatis, quia tunc ipsius legis ecclesiasticae, vel simpliciter talis, vel legem naturalem aut divino-positivam censura corroborantis, non cessat.

Iuxta hanc doctrinam negative respondendum esset propositae quaestioni. Verum novo iure non omnes nunc concedent posse adhuc hanc doctrinam retineri et applicari. Nam can. 2205, § 3 enuntiat metum quoque gravem, etsi minuat, non auferre imputabilitatem (et quidem per se gravem), si actus sit intrinsece malus, aut vergat in contemptum fidei

vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum: et can. 2218, § 2 ea, quae excusant a gravi imputabilitate, excusare pariter a qualibet poena, tum latae tum ferendae sententiae. — Porro directa abortus procuratio est quid intrinsece malum et metus etiam gravis per se non excusat a gravi imputabilitate. — Attamen ratio de qua supra, ratio est intrinseca: idque intentos nos facere debet in dispositionibus novi iuris interpretandis, quae videntur huic doctrinae contrariae. — Igitur can. 2229, in quo enuntiantur quaenam ex parte intellectus vel voluntatis excusant vel non a censuris incurrendis, nullo dubio confirmatur vetus doctrina, nam ita legitur: « metus gravis, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a poenis latae sententiae nullatenus eximit ». Ergo, si non vergat in contemptum etc., metus gravis excusat. Abortus vero non vergit in publicum animarum damnum, quia tale damnum iuris sensu non est illud, quo plures animati foetus sine baptismo decedant. — Contradicitne hic canon, vel melius haec explicatio, quae tamen est formalis, duobus canonibus supra citatis? Specie, sed non re. Nam verum est excusatum a gravi culpa excusari etiam a poena, tum latae, tum ferendae sententiae, quia neque mos neque mens Ecclesiae est gravibus poenis punire levia peccata: sed ne festine concludas non excusatum a gravi culpa nunquam a poena excusari. Qui ex metu gravi actum ponit, vel intrinsece malum, vel vergentem in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis, vel in publicum animarum damnum (et iam actus iterum fit intrinsece malus), profecto per se graviter peccat: id tantum asserit can. 2205, § 3: sed non obstante gravi peccato, tunc tantum censura contrahitur, quum lex ecclesiastica graviter obligans violatur: idque tum revera contingit, quum actio, sive sit intrinsece mala vel non, in contemptum cedit fidei vel ecclesiasticae auctoritatis, vel in publicum animarum damnum. Ergo non sufficit ut actio sit intrinsece mala.

80. - *Effectu secuto.* Ergo ad censuram incurrendam non sufficit utcunque conari, sed necesse est efficaciter causare, ita scilicet ut abortus de facto sequatur, et quidem ex causa

posita ad illum procurandum. Ideo, si in dubio utrum verus abortus (si eiiciatur foetus iam mortuus, etsi vi causae directe positae in utero occisus, cf. supra, verus abortus non est), vel forte ex alia causa sequutus sit, nulla censura.

5.

Religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem proprio Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam... Can. 2385.

81. - *Religiosus.* Cf. supra sub num. 3 huius seriei. Heic igitur non veniunt sodales more religiosorum in communi viventes sine votis, can. 673: nam, cum ad essentiam status religiosi vota publica, perpetua vel temporanea, elapso tamen tempore renovanda, exigantur, isti proprie religiosi non sunt.

Religiosus: etiamne monialis vel soror? — Merito dubitatur: nam verum est quidem quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valere etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud constet, can. 490; sed nonne videtur ex ipso contextu aliud revera constare? Agitur enim de excommunicatione reservata *proprio Superiori maiori*, quod vel de monialibus subiectis regularibus incongrue diceretur: deque religione agitur laicali, quae prout communi usu loquendi opponitur clericali, et heic etiam clericali non exemptae, nonnisi virorum est; nulla enim est vel esse potest religio clericalis, quae constet ex mulieribus. Profecto huius limitationis ratio non facile assignatur, sed alia est ratio legis, alia mens legislatoris verbis expressa. Forte satis fuit legislatori, ne severius in mulieres animadverteret, moniales clausuram violantes excommunicationi subiecisse simpliciter Sedi Apostolicae reservatae; alias, seu non proprie moniales, relinquendo Ordinariorum providentiae. Practice igitur haec censura, cum dubia saltem sit, moniales et sorores non afficit.

Apostata a religione: non est nisi professus a votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, qui e domo religiosa

illegitime egreditur cum animo non redeundi; vel qui legitime egressus non redit eo animo, ut religiosae obedientiae sese subtrahat: qui animus iure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit, nec Superiori animum redeundi manifestaverit. Can. 644, § 1, § 2. — *A votis perpetuis:* ergo religiosus qui vota emiserit tantum temporanea, etsi perpetuis praeparatoria, hic non comprehenditur.

82. - *Si religio sit laicalis aut non exempta.* — Religio laicalis ea est, cuius sodales, si pauci excipiantur, sacerdotio non initiantur. Can. 488, 4°. Religionis laicalis, licet forte speciali gaudeat privilegio exemptionis, sodales, quoad vigilantiam, non secus ac moniales, subsunt Ordinario loci. — Religio vero clericalis, cum non necessario sit regularis, non ideo est exempta et, excepto speciali privilegio, subiicitur Ordinarii loci iurisdictioni. — Uterque igitur, et religiosus religionis laicalis et religiosus religionis clericalis non exemptae, propter crimen apostasiae a religione, excommunicatione punitur Ordinario loci reservata.

Incurrit in excommunicationem. — Excommunicatio contrahitur ipso illegitimo egressu, cum animo tamen non redeundi; vel post egressum legitimum, concepto et consummato proposito non redeundi, quod non est mere internum (neque id sufficeret ad censuram), sed est etiam externum per ipsum non reditum, cum possit et debeat religiosus redire. Statim igitur excommunicatio contrahitur in foro interno; sed in foro externo excommunicatus non habetur nisi post mensem, tunc enim tantum iure hic animus praesumitur. Can. 644, § 2.

Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam: in quo scilicet extra domum religiosam illegitime manens, actu, vel transeunter tantum, nullumque ideo habens ibidem domicilium vel quasi-domicilium, exsistit. Quocunque igitur ipse pergat, secum trahit censuram Ordinario loci reservatam.

Si religio est clericalis exempta, religiosus apostata, ut constat ex prima parte canonis, incurrit excommunicationem proprio Superiori maiori reservatam: sed id huc non pertinet.

6.

Professi votorum simplicium perpetuorum, tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis... itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum, contrahere praesumentes.... Can. 2388, § 2.

83. - Cf. sub num. 9, marg. **60**, **61**, excommunicationum Sedi Apostolicae simpliciter reservatarum, ubi exhibetur et explicatur § 1 huius canonis, in quo excommunicatio Sedi Apostolicae simpliciter reservata sancitur contra clericos in sacris et regulares aut moniales post vota sollemnia matrimonium praesumptuose attentantes, et in omnes qui cum ipsis similiter matrimonium attentant.

Hic professi votorum tantum simplicium, perpetuorum tamen, sive in Ordinibus, ideoque regulares proprie dicti, antequam sollemniter profiteantur; sive in Congregationibus religiosis, ideoque religiosi non regulares, qui nonnisi vota simplicia emittunt tam viri quam mulieres: omnesque, qui cum ipsis, si matrimonium, vel mere civile, attentare praesumpserint, excommunicatione puniuntur Ordinario tantum reservata. — Cetera, quae ad uberiorem explicationem huius canonis facere possunt, vide supra loc. cit.

Series V.

Excommunicationum scil. « nemini » reservatarum.

Excommunicationi nemini reservatae subiiciuntur:

1.

Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant... Can. 2318, § 2.

84. - *Auctores et editores.* — Cf. num. 3 excommunicationum speciali modo reservatarum. Illic excommunicantur et absolute quidem, quia libri huiusmodi imprimi simpliciter pro-

hibentur, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum haeresim propugnantium aliique, de quibus in eodem canone 2318, § 1; hic excommunicantur, censura tamen nemini reservata, et si debita sine licentia egerint, tum auctores adnotationum et commentariorum sacrarum Scripturarum, qui ea simul cum sacrarum Scripturarum libris vel separatim, tum editores, qui eadem, vel solum sacrarum Scripturarum libros, imprimi curant.

Imprimi curant: auctores scilicet et editores. Ideo neque auctor, si alius suis expensis et suo nomine edat; neque editor, si auctor suo nomine et impensis edat, incurrit excommunicationem: nam imprimi curans ille est, qui in se suscipit, tanquam causa principalis, impressionis onus. Et, uti auctor intelligitur *formalis*, qui nempe opus condidit, non vero materialis, qui mere scripsit vel transcripsit, ita editor etiam, ideoque sub editoris nomine non veniunt typographi aliique operarii, qui materialem tantum operam praestant in operis editione. — *Imprimi curant.* Ergo sufficit impressio, neque opus est evulgatione seu ut opus publici iuris fiat, quod expresse exigitur in casu editorum librorum apostatarum etc., de quibus supra.

Sacrarum Scripturarum libros: quocunque idiomate, sive originali sive vulgari. — Ergo non sufficit ut pars libri vel diversorum librorum partes imprimantur; sed sufficit, si, utcunque dismembratim, integer liber imprimatur, vel una tantum ex brevioribus apostolicis epistolis; nam usu ecclesiastico haec etiam venit sub nomine libri.

Vel earum adnotationes et commentarios. — Earum, seu sacrarum Scripturarum, non librorum. Ergo non requiritur ut adnotationes vel commentarii sint totius sacrae Scripturae vel saltem unius integri libri: sed adnotationes vel commentarii, sive partis sacrae Scripturae sive partis libri sufficiunt. — Adnotationes a commentariis eo distinguuntur, quod commentarii textus sensum illustrant seu explicant; et ad commentarios facile reducuntur etiam paraphrases: adnotationes vero circa alia potius versantur, v. gr. criticam textuum analysim, parallelismum cum aliis sacrarum Scripturarum locis, concordantiam cum adiunctis historicis, geographicis aliunde notis etc.

Perinde est sive adnotationes aut commentarii sint originale auctoris opus, sive ex scriptis sanctorum Patrum, vel Ecclesiae Doctorum aliorumve scriptorum catholicorum compilatum. Licentia semper sub poena excommunicationis exigitur.

Sine debita licentia. — Sane sine praevia censura ecclesiastica neque laicis neque clericis licet libros sacrarum Scripturarum edere vel earumdem adnotationes aut commentarios. Licentiam dare potest loci Ordinarius, vel proprius auctoris, vel loci in quo imprimantur; ita tamen ut si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia. Religiosi vero licentiam quoque sui Superioris maioris antea consequi debent. Can. 1385, § 1, 1°; § 2, § 3.

2.

Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve, sive excommunicatos sive interdictos, contra praescriptum can. 1240, § 1... Can. 2339.

85. - *Qui ausi fuerint:* ergo non omnes mandantes seu cogentes, sed illi tantum, qui certa scientia iuris et facti libere mandant seu cogunt.

Mandare seu cogere: scilicet non tantum rogare ut suo nomine fiat, sed potius iubere, praecipere, vi compellere. Etenim manifesto haec duo verba accipienda sunt per modum unius, sensu nempe mandati, non cuiuscunque, sed coactivi, per publicam potestatem: hinc censuram nonnisi magistratus incurrit, qui, ut talis, seu munere publico fungente mandat et, mandando, cogit. Hancque interpretationem esse rectam colligi videtur etiam ex subiecta materia; nam agitur de sepultura ecclesiastica, seu de publica et communi sepultura, ad quam quis cogi proprie non potest nisi a potestate publica. Casus facile esse potest ubi leges civiles coemeteria, vel catholicorum, ab Ecclesia avocarunt, iniuria quidem, ad municipia, si syndicus ex. gr. mandet in coemeterio catholico sepeliri personam, quae iure canonico excluditur.

Si igitur auctoritative, ideoque coactive, censuram non incurrit ne magistratus quidem, qui precibus, suasionibus, muneribus etc., inducit, puta, parochum ad ius in re sepulturae violandum. Et, si mandantes seu cogentes excommunicantur, ergo non *sepelientes* vel simpliciter *admittentes*, etsi forte graviter peccent.

Ecclesiasticae sepulturae. — Haec duobus constat, loco sacro et ritu catholico. Cf. *Rituale Rom.* et can. 1204. Sed nonne can. 2339, praescindendo a ritu, videtur Ecclesia in primis velle violationem loci sacri praecavere per depositionem ibidem eorum, de quibus in can. 1240, § 1? Iam DD. communiter tenebant contrahi censuram, si quis eorum etiam nullo ritu sacro in loco sacro sepeliatur; et e contra non contrahi si ritu sacro sepeliatur in loco non sacro. Idem videtur esse legis sensus in novo iure. Sane can. 1240, § 1, iis recensitis, qui ab ecclesiastica sepultura excluduntur, statim can. sequenti 1241 edicitur excluso a sepultura ecclesiastica esse denegandam quamlibet Missam exsequialem, etiam anniversariam, necnon alia publica officia funebria. Ergo in sensu iuris ecclesiastica sepultura non est accipienda per modum unius cum ritu sacro, nam hic ab ea distinguitur; sed pro simplici cadaveris repositione in loco sacro. Insuper id sufficiebat ad excommunicationem in veteri iure iuxta probatorum Doctorum interpretationem: ergo et in novo iure sufficere debet, si nihil novi hac in re ius novum inducat. — Attamen quia etiam in novo iure, can. 1204 « sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis »: verba vero canonis 1241 non necessario sumantur sensu disiunctivo, sed sumi possint sensu copulativo et declarativo, quatenus scilicet ideo iis, qui sepeliri non possunt in loco sacro, funebria Ecclesiae sunt deneganda, quia privatio sepulturae utrumque importat, loci nimirum et ritus sacri privationem, putamus contrariam sententiam non destitui probabilitate: ideoque practice saltem in foro interno, ante sententiam iudicis declaratoriam, mandantem seu cogentem ad quempiam in loco sacro sepeliendum, qui iure excluditur, nullo ritu sacro, non esse excommunicatum.

Locus sacer est locus divino cultui fideliumve sepulturae consecratione vel benedictione iuxta libros liturgicos deputatus. Can. 1154. Non sufficit igitur ut locus profanus sit ad fidelium sepulturam tantum destinatus, vel ibidem iam coeperint, nulla adhuc accedente benedictione, fidelium corpora sepeliri. Et confirmatur: quia locus legitime deputatus fidelibus defunctis condendis, can. 1204, statim, can. 1205, dicitur esse coemeterium « quod secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos sit benedictum, sive sollemni sive simplici benedictione »; vel, can. 1206, saltem spatium in coemeterio communi, idque benedictum, sepeliendis solis fidelibus destinatum; vel, si neque hoc fieri possit, singulos tumulos singulis vicibus benedicendos.

Infideles, apostatas a fide etc., *contra praescriptum can.* 1240, § 1. — Praescripto huius canonis ab ecclesiastica sepultura sequentes excluduntur: 1° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti; 2° Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; 3° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio; 4° Mortui in duello aut ex vulnere inde relato; 5° Qui mandaverit suum corpus cremationi tradi; 6° Alii peccatores publici et manifesti. Vel isti tamen ex eodem canone non excluduntur, si ante mortem signa aliqua dederint poenitentiae, § 1: immo, consulto Ordinario et remoto scandalo, etiam in dubio admitti possunt, § 2.

Attamen obvio verborum sensu can. 2339, non per sepulturam ecclesiasticam uniuscuiusque istorum mandans vel cogens incurrit excommunicationem: nam, etsi praescriptum can. 1240, § 1 adlegetur, non tamen ecclesiastica sepultura omnium, qui ibidem excluduntur, secum fert censuram in mandantem seu cogentem, sed tantum: 1° *infidelium*, qui, utpote tales, neque cum aliis, de quibus supra, iure positivo exclusis, connumerantur; 2° *apostatarum a fide*, si apostasia sit notoria; 3° *haereticorum* et *schismaticorum*, si tamen fuerint sectae haereticae vel schismaticae notorie addicti; 4° *excommunicatorum*, sive *interdictorum*, post tamen sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. Cf. can. 1240. Isti enim tan-

tum nominantur in praesenti canone excommunicationem in mandantes seu cogentes decernente.

Manifesti autem iuris est censuram non incurri, nisi effectu secuto.

3.

Omnes quovis modo rei, *sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo in alienandis* bonis ecclesiasticis... *contra praescriptum can.* 534, § 1 *et can.* 1532... *si beneplacitum apostolicum in* hisce *canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum...* Can. 2347.

86. - *Omnes:* sive viri sive mulieres, sive clerici sive laici; ipsi quoque Praelati et Episcopi.

Quovis modo rei: ex tribus videlicet ibidem indicatis, prout sequitur.

Sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo. — 1° *Dantes*, seu active alienantes nonnisi illi, omnes et soli, esse possunt, qui bonorum ecclesiasticorum iure habent custodiam vel administrationem, seu personam moralem repraesentant, cuius sunt bona: ideo Ordinarii, Parochi, Rectores, Oeconomi etc., sive ipsimet alienent, sive eorum nomine et mandato alienatio ab aliis fiat. Agitur enim de bonorum ecclesiasticorum alienatione ad quam requiritur beneplacitum apostolicum: quod, uti patet, intelligi non potest de bonis ecclesiasticis ab aliis iniuste detentis et ab ipsis iniuste alienatis. Tamen et isti, si non utcunque detineant, sed alienatione illegitime a praecedentibus facta, imo et eorum successores, iterum alienando, censuram contraherent.

2° *Recipientes* sunt qui quocunque contractu bona ecclesiastica, sine praescripto apostolico beneplacito alienata, per se vel alios seu mandatarios, accipiunt et detinent: iterum tum priores tum posteriores seu successores; id enim ex verbis liquet et ex fine legis.

3° *Consensum praebentes* heic ii sunt, qui non qualitercunque, sed auctoritative consentiunt seu iure per suffragium, v. gr. Superior regularis vel Ordinarius, Consultores vel Capitulares, vel etiam ii, quorum interest, ex. gr. Parochus, Re-

ctor, ubi eorum consensus vel suffragium iure exigitur. — Consensus tamen nonnisi efficax intelligitur: hinc, si consentiens suo consensu in alienationem non influxerit, utpote iam consensu aliorum determinatam, censuram non incurrit.

Haec autem tria: vel dando vel recipiendo vel consensum praebendo, accipienda sunt effectu secuto seu alienatione consummata, quia nonnisi alienatio censura punitur; ideoque isti excommunicantur quorum actione et cooperatione effecta est. Non tamen semper necessaria est rei traditio, quia contractus in sui natura perfectus esse potest ante traditionem. Attendenda igitur est lex naturalis et natura contractus, necnon, ex can. 1529, lex ipsa civilis, ut constet utrum contractus solo consensu perficiatur vel traditione; ideo utrum censura urgeat vel ante vel tantum post traditionem.

In alienandis bonis ecclesiasticis. — Nomine alienationis iure canonico latissime intelligitur quicunque contractus, quo nedum dominium directum, sed vel tantum utile aut aliud ius in re transferatur et conditio Ecclesiae, iuxta verba can. 1533, peior fieri possit: ideo non tantum venditio aut donatio, sed etiam locatio ad longum tempus (ultra novennium), permutatio, oppignoratio, hypotheca, emphyteusis, census, servitutes etc. — Alienatio tamen dici nequit nisi de bonis, quae iam fuerint pleno iure ab Ecclesia acquisita: nam alienare est acquisitis se privare, non vero acquirendis renuntiare. Hinc non alienat, neque proinde censuram incurrit, qui donationem vel, probabiliter, legatum repudiet. *Probabiliter*, quia verius, iuxta S. Alphonsus, legati repudiatio est vera alienatio, cum ad legatum non requiratur acceptatio, sicut ad donationem, sed statim acquiratur a legatario a morte testatoris. Lib. IV, n. 187. Neque ideo liceret ecclesiae rectori donationem Ecclesiae factam repudiare, sine licentia Ordinarii: imo ob damna, quae inde obvenerint, daretur contra ipsum actio restitutionis in integrum vel indemnitatis, can. 1536, § 2 et § 3.

Perinde est sive in laicorum vel privatorum commodum alienatio fiat, sive in commodum ecclesiae vel loci pii, quia novum ius, nulla distinctione vel exceptione, sub excommunicationis poena prohibet bona ecclesiastica alienare contra cann. 534, § 1; 1532 praescriptum.

Quaenam sint bona ecclesiastica cf. num. 7 excommunicationum Sedi Apostolicae simpliciter reservatarum.

Si beneplacitum apostolicum etc. Non quorumcunque igitur bonorum ecclesiasticorum alienatio hac censura cohibetur; sed eorum tantum, ad quorum alienationem requiritur beneplacitum apostolicum, si hoc fuerit scienter praetermissum, scilicet: 1° rerum pretiosarum et 2° aliarum, quarum valor summam excedit triginta millium libellarum seu francorum, iuxta cann. 534, § 1 et 1532. — Porro beneplacitum apostolicum requiritur non tantum ad alienationem proprie dictam sed ad quemcunque contractum, prout supra ex can. 1533; qui proinde, si sit circa talia bona vel talis valoris, aeque sub sanctione cadit huius censurae.

Res pretiosae dicuntur quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa: valor nimirum oeconomicus, pecunia numerata aestimabilis. — Ideo reliquiae insignes, licet alienari non possint sine apostolico indulto, can. 1497, § 2, easque vendere semper nefas sit, can. 1289, § 1, cum tamen pretio aestimari non possint, quia sunt supra omne pretium, huc non pertinent; hinc earum alienatio sine indulto apostolico secum non fert censuram. — E contra imagines vetustate, arte vel cultu praestantes, cum sint revera pretio aestimabiles, rebus pretiosis accensentur, can. 1280, quarum ideo illegitima alienatio censura puniretur.

Sed quantus rerum pretiosarum valor? absolutene vel relative *notabilis* valor accipi debet? Et si notabilis valor inesse potest causa tantum materiae, puta auri, in quonam differt a valore ceterarum rerum numerata pecunia expresso? Putamus igitur pro rebus pretiosis eandem valere regulam, quae pro rebus non pretiosis; ideoque valorem notabilem illum esse, qui triginta excedit millium libellarum. Quod si in iure res pretiosae ab aliis distinguuntur, ratio videtur esse, tum quia harum rerum, earum praesertim, quae valore artistico vel historico praestant, alienatio strictius merito prohibetur, tum quia, cum earundem pretii magna sit latitudo, existimari potuit pretium reale esse infra conventionale proptereaque ad earum alienationem beneplacitum apostolicum non requiri.

De pecunia, an rebus pretiosis accensenda sit vel non,

videtur fere otiosa quaestio, nisi fiat de antiquis numismatibus, quae, praesertim si collectionem constituant, notabilem sane valorem habere possunt. De pecunia currenti, quacunque forma exsistat, valet regula de rebus tradita non pretiosis, de qua statim.

Aliae res, quarum valor summam excedit triginta millium libellarum seu francorum, res sunt tum immobiles tum mobiles. — Mobiles vero aliae sunt, quae servando servari non possunt, prout brevi tempore corrumpuntur, uti fruges, vinum, oleum omnesque terrae et arborum fructus: aliae, quae servando servari possunt, prout longo tempore in sua bonitate et usu subsistunt, uti tapetes, paramenta, utensilia, greges, armenta etc.

Porro beneplacitum apostolicum necessarium est pro alienatione, ultra praedictam summam, rerum mobilium, quae servando servari possunt; rerum, inquam, non earum fructuum (nam licet vendere et alienare lanam, vitulos, agnos, hoedos etc.): non vero pro rerum mobilium alienatione, quae servando servari non possunt, cum ipsa alienatio Ecclesiae sit utilis, secus istae res corrumperentur et pretium amplius non haberent. Imo alienatio earum videtur necessaria, ne Ecclesiam ex earum corruptione detrimentum pati contingat. Quod idem advenit in rebus praesertim semoventibus, puta ovibus, bobus, equis quae, licet cum armentum vel gregem efficiant, alienari cumulative non valeant, possunt tamen et debent distributive, ne propter senium pereant, prout post consuetam aetatem fieri censendum est et habeatur detrimentum; et in loco venditorum alia animalia sunt proponenda. Quemadmodum id intelligendum est de arboribus, cum ad maturitatem pervenerint, quod possint caedi, aliis in earum loco insertis. De Angelis, *Praelect. Iuris Canon.*, lib. III, titulus XIII, num. 3.

Tituli ad latorem (*titoli al portatore*), quos vocant, sunt et ipsi bona mobilia, quae iterum vetitum est alienare sine etc. — Possunt tamen administratores eos commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii et negotiationis specie et de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque, quorum intersit, can. 1539, § 2.

Pecunia etiam ex alienatione percepta bonorum ecclesiasticorum caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocari debet, can. 1531, § 3.

87. - *Si beneplacitum apostolicum... fuerit scienter praetermissum.*

Ignorantia igitur, etiam crassa et supina excusat: sive quis ignoret agi de bonis ecclesiasticis (ignorantia facti); sive requiri apostolicum indultum (ignorantia iuris); sive sub censura requiri (ignorantia poenae). Patet autem haec verba referri tum ad dantes, tum ad recipientes, tum ad consensum praebentes.

4.

Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem, tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam. Can. 2352.

88. - *Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes:* ergo, exceptis S. R. E. Cardinalibus, can. 2227, § 2, nemo eximitur, sive ecclesiasticus sive laicus, etsi in Ecclesia vel Statu princeps.

Quoquo modo cogant: moraliter scilicet, sive minis vel timore incusso, etiam reverentiali, gravi tamen; sive auctoritativo mandato; sive precibus importunis vel fraudibus aut blanditiis infirmam voluntatem superantibus. Non igitur incurrunt qui mere consilium praebent vel per alios coactis faciliorem ad clerum aut religionem reddunt viam.

Sive virum ad statum clericalem. — Sufficit prima tonsura: tonsura enim quis in clericum cooptatur et in statu clericali constituitur, can. 108, § 1.

Et profecto qui cogunt, id ordinarie non intendunt, ut clericus in tonsura consistat, sed eum volunt potius per omnes gradus ordinum ad sacerdotium ascendere. — Num cogentes toties eandem censuram incurrunt, quoties successive clericus ordines recipit? Minime sane, sive perduret, saltem virtute, eadem coactio, sive fiat nova coactio: quia coactio non foret

ad statum clericalem amplectendum, cum coactus iam sit clericus et coactione statum clericalem amplexus. — Quid tamen, si clericali tonsura et ordinibus minoribus sponte libereque susceptis, quis ad ordines cogeretur maiores? Videretur idem dicendum eademque ratione, qua antea, quia non ad clericandum cogeretur, cum iam sit clericus. Verum, etsi tonsura status habeatur clericalis, idque sufficiat ad censuram in cogentes; tamen, cum ordinibus maioribus status clericalis fiat per se irretractabilis et veluti consummetur, non improprie diceretur etiam tunc clericus statum clericalem amplecti; imo tunc strictius et proprius: ideoque cogentes non eximuntur a censura. Et sane, sicut in religione duo veluti religiosae vitae stadia distinguuntur: novitiatus scil. quo quis in religionem cooptatur, et professio, praesertim votorum perpetuorum, qua novitius proprie et iure religiosus constituitur, ita in clericatu; tonsura, qua quis in clerum cooptatur, nondum tamen, neque per tonsuram neque per minores ordines, ad hierarchiam pertinet divinitus institutam, et sacra ordinatio, qua clericus proprie fit in hierarchia divina minister, perpetuo ad cultum Dei mancipatus. Iamvero si censura plectuntur non modo cogentes ad ingrediendam religionem, sed etiam cogentes ad professionem tantum emittendam, videtur idem dicendum de cogentibus ad statum clericalem, seu censura plecti, non modo cogentes ad tonsuram, sed etiam cogentes tantum ad ordines sacros suscipiendos.

89. - *Sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam.* — In religionem, non tantum in monasterium. Ingressus in religionem in hoc consistit, quod animo profitendi quis ingrediatur et ex nunc sub habitu proprio religionis tyrocinium incipiat seu novitiatum. Ergo si quis alium vel aliam cogeret ad ingrediendum monasterium ibique vivendum, more tamen laicorum, etsi sub religiosorum obedientia, censuram non incurreret. Idem dicendum de cogentibus ad postulatum, quia postulantes monasterium quidem ingrediuntur, sed non adhuc religionem: ideo enim postulantes dicuntur, quia postulant, admitti scilicet ad religionem amplectendam. Indubie tamen cogentes ad monasterium ingrediendum intuitu religionis su-

scipiendae et, perseverante, saltem virtualiter, coactione, censuram contraherent, quando post postulatum, ingressi vel ingressae novitiatum inciperent: sed antea non videtur, quicunque sit animus cogentium. Sane, sive de statu clericali sive de religione agatur, verbum cogentes accipiendum est effectu secuto, seu statu clericali vel religione susceptis: sed solo postulatu religio non suscipitur et intentio non potest mutare obiectivam rei veritatem.

90. - *Vel ad emittendam religiosam professionem* etc. — Qui cogit ad ingrediendam religionem, mediate vel indirecte cogit etiam ad professionem et semel tantum excommunicatur: sed potest quis cogere ad professionem, quin ad ingressum coegerit, ex. gr. si quis vel quae libere introierit et, postea, tempore tyrocinii nondum expleto vel utcunque ante professionem, velit recedere. Quisquis vera coactione, puta, parentes vel alii quorum interest, vel ipsi aut ipsae domus Superiores vel sodales etc., egressum impediat, eo ipso cogit ad professionem et plectitur censura. Sufficit ad censuram, uti diserte enuntiatur, etiam simplex votorum temporaneorum professio. — Patet iterum censuram non contrahi, nisi effectu secuto seu professione emissa.

Iampridem Ecclesia plura sapienter constituit ad libertatem sive virorum sive mulierum tuendam, quo ad statum clericalem vel religiosum amplectendum, praesertim in Conc. Trid., sess. XXIV *De Regularibus et Monialibus*, capp. 16, 17, 18. In novo Codice iterum maternam suam in re tanti momenti sollicitudinem ostendit, decernendo can. 971, *nefas esse quemquam ad statum clericalem cogere vel canonice idoneum ab eo avertere;* can. 542, 1°, *invalide eos ad novitiatum admitti, qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti vel eos, quos Superior eodem modo inductus recepit;* can. 572, 4° *religiosam professionem vi aut metu gravi aut dolo emissam esse invalidam.* Tandem can. 2352 cogentes, ut supra, excommunicantur.

5.

Fidelis... qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare, contra praescriptum can. 904,... *non absolvendus, nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit.* Can. 2368, § 2.

Can. 904, confirmans Apostolicas Constitutiones, praesertim Constit. Benedicti XIV «*Sacramentum Poenitentiae*», 1 iun. 1741, onus imponit poenitenti, sacerdotem reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiandi loci Ordinario, loci nempe, in quo persona sollicitata hic et nunc commoratur vel S. Congregationi S. Officii, et onus confessario poenitentem, quem reperit fuisse in confessione sollicitatum, monendi de obligatione denuntiationis: utrumque sub gravi. — Nunc vero can. 2368, § 2, quod iampridem statutum fuerat in Constit. «*Apostolicae Sedis*», Pii IX, Idib. oct. 1869, excommunicatio latae sententiae in fidelem fertur sollicitatum, qui scienter omittat eum, a quo fuit sollicitatus, intra mensem denuntiare. En tamen ex verbis eiusdem canonis extensio et limites huius censurae.

91. - *Fidelis:* quicunque sit et cuiuscunque sexus vel aetatis: profecto tamen post usum rationis, quia de confessione antea quaestio esse non potest. - Verum fidelis tantum in confessione *sollicitatus;* non alii, etsi crimen cognoscant sollicitationis et, saltem iure naturali, teneantur et isti denuntiare, praesertim si illi, qui primo et per se tenentur negligerent; quia manifesto ad alios praeter sollicitatos censura non extenditur, ut patet ex verbis: «eum, a quo sollicitatus fuerit».

Qui scienter omiserit. Ergo quaelibet imminutio culpae, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis, a censura excusat. Can. 2229, § 2.

Et ex parte quidem intellectus, ignorantia: sive facti, ut patet, si nempe poenitens sollicitationem non animadvertit vel sollicitationem fuisse dubitet; sive iuris seu legis ad denuntiationem obligantis; sive poenae tantum seu excommunica-

tionis in non denuntiantem; ignorantia nimirum etiam graviter culpabilis, dummodo non ex industria quaesita et directe volita seu affectata. Idem dicatur de oblivione, quae ignorantiae comparatur, quaeque et ipsa culpabilis, etiam graviter, esse potest.

Ex parte vero voluntatis, non tantum impossibilitas physica vel moralis, qua, saltem quandiu perdurat, obligatio non urget; sed etiam incoercibilis, utut irrationalis, metus v. gr. incurrendi confessarii indignationem, fortis animi aversio ab eius fama destruenda apud Superiorem eique etiam in temporalibus damnificando, nimia verecundia, qua, praesertim puella, a comparendo detinetur coram Superiore eique sollicitatione aperienda, eo magis quum ipsa etiam sollicitavit vel saltem consensit, etsi neque ipsa teneatur suum peccatum manifestare, neque Superior de hoc exquiret. Profecto, considerata materiae et legis, vel positivae tantum, gravitate, haec et alia similia ab obligatione non excusant denuntiationis faciendae; neque confessarius omittere potest monitionem, etsi praevideat hanc non esse, saltem nunc, profuturam, denegando absolutionem, si poenitens renuat obligationi satisfacere.

Posset tamen prudenter confessarius, si certo moraliter vel valde probabiliter praevideat se nihil, monendo, nunc effecturum, monitionem differre ad tempus opportunius, poenitenti interim insinuando rem esse iterum examinandam ut iuris et conscientiae exigentiis, uti par est, satisfiat, quibus satisfaciendis iam ex nunc poenitens ostendat se animum habere dispositum: vel si poenitens ad eundem confessarium non redeat, ei imponendo ut hanc rem alii, apud quem proxime confitebitur, confessario manifestet et iuxta eiusdem monita se dirigat et, nisi aliud obstet, nunc eum absolvere. Nam neque ius divinum neque ius ecclesiasticum denuntiationem ideoque monitionem exigens, est cum tanto rigore interpretandum, ut nulli prorsus exceptioni sit locus, praesertim quando non iam evacuatur lex in casu particulari, sed eius exsecutio tantum, propter gravem causam, ad tempus differtur. — Et sane, si impotentia moralis suspendit obligationem, non apparet quomodo infirmitas, nunc invincibilis, naturae et voluntatis et damnum certum ex monitione se-

cuturum, siquidem poenitens in malo statu poneretur et fieret Sacramentorum indignus, causa non sit sufficiens dilationis quoad monitionem faciendam, donec ipse melius paratus et dispositus possit prudenter moneri. — Insuper, si verba Constit. Benedicti XIV, quae confessario reperienti suum poenitentem fuisse ab aliis in confessione sollicitatum, imponunt onus poenitentem monendi de obligatione denuntiandi iuxta *occurrentium casuum circumstantias*, aliquid significant, profecto videntur hunc casum non excludere: idque eo magis in periculo mortis, quando monitio non profutura esset certo maxime nocitura, quia aegrotum exponeret proximo periculo damnationis. Imo, si mors est certa, consulerem ut semper monitio omittatur, tum quia agitur de obligatione non reali, uti est debiti solutio, sed personali et, morte certa, monitio esset omnino inutilis; tum quia semper est timendum ne animus aegroti monitione, quae certe neque sanos, etsi aliunde bene dispositos, valde laetificat, turbetur et ita ansa detur spiritui nequam suis insidiis facilius utendi.

Attamen, excepto certae mortis periculo, nisi scandalum obstet poenitentis sollicitationem tunc non animadvertentis et *nunc* adhuc ignorantis (si nunc cognosceret, monitio omitti non posset) vel causa permanens a denuntiatione excusans monitio vel nunc vel postea est prorsus facienda. Lex Ecclesiae, qua ipsum ius naturale proxime determinatur, omnes urget, quotiescunque exsecutio est possibilis. Conetur confessarius poenitentem vel cunctantem vel exsequi renuentem instruere, exhortari, fortiter et suaviter admonere eumque etiam quantum valet, adiuvare ad hoc ut onus denuntiationis facilius adimpleatur. Si poenitens, non quidem denuntiationi, sed, uti frequentius, oneri sese praesentandi coram Superiore repugnet, moneatur sufficere, si per epistolam certiorem faciat Superiorem de onere, quod ipse habet, denuntiandi et de difficultate, qua detinetur: Superior sua prudentia modum ei signabit valde faciliorem, cui poenitens bonae voluntatis certo acquiescet. Imo S. Congregatio S. Officii quandoque, pro casus adiunctis, a denuntiatione dispensat. Laudandus etiam esset confessarius, qui poenitenti timido vel infirmo, ad eius instantiam, operam suam non denegaret;

prudenter tamen et remoto omni periculo ne uti reus abusus notitiae confessionis traducatur; vel ipsomet vice poenitentis scribente ad Superiorem, vel personaliter ad Superiorem rem deferendo.

Omiserit cum a quo sollicitatus fuerit denuntiare. — De sollicitationis crimine, propter quod sacerdos reus est a poenitente denuntiandus cf. sub num. 12 excommunicationum Apostolicae Sedi speciali modo reservatarum. — Sufficit ut facto et iure sollicitatio fuerit et de ea certo constet. Obligatio urget, quicunque fuerit sollicitans; quocunque tempore, sive recenter sive olim, sollicitatio commissa fuerit; et etiam, saltem valde probabilius, si sollicitans videatur perfecte emendatus (undenam enim certo cognoveris?); imo etiam si, non modo de diversa vel posthuma, sed, probabilius, vel de eadem sollicitatione, sit iam iudicatus et punitus: vel nullum amplius sit periculum in futuro, quia, puta, talis sacerdos iam nullas unquam confessiones est auditurus, quia lex nullam adiicit limitationem, neque videtur tunc ita adaequate cessare finis legis, ut poenitens iure putetur ab obligatione solutus. — Excipitur tamen, si sollicitans defunctus iam sit, quia tunc finis legis certo adaequate cessat. Excipiatur etiam si poenitens in impossibilitate versetur denuntiandi, quandiu impossibilitas manet. Ita excusatur qui neque personaliter, quia ex. gr. chronice infirmus vel carcere detentus; neque per epistolam, quia v. gr. ex imperitia, vel alia causa scribere non valeat, Superiorem, Ordinarium scil. vel S. C. S. Officii, adire possit: vel ex denuntiatione merito grave timeat damnum sibi vel suis, nisi damnum publicum sit avertendum, cui damnum privatum cedere debet. Sed non excusat timor incurrendi delinquentis indignationem, aut nimia verecundia in denuntiatione facienda, aut alia similis causa, quae, utpote ordinarie concomitans denuntiationem, neque proprie dictam impotentiam secum ferens, praevalere non potest contra gravissimam hanc legem, qua praecavetur abusus Sacramenti Poenitentiae et pernicies animarum.

Intra mensem denuntiare. — Tempus non decurrit ignoranti, neque impotenti: ideoque mensis initium accipiendum est a die cognitae obligationis et cessationis impedimenti, ita

nimirum ut tempus, quo impedimentum perduraverit, non computetur. Cognitae sane obligationis intra mensem sub censura adimplendae; nam si poenitens nesciat obligationem intra mensem urgere et bona fide putet se adhuc posse differre, nulla culpa: vel si id sciat, sed ignoret censuram adnexam, nulla poena: dummodo, ut supra monuimus, ignorantia non fuerit affectata.

92. - *Non absolvendus nisi* etc. — Ergo, si poenitens serio, ita scil. ut ei fides merito praestari possit, se denuntiaturum promittat, absolvi potest, non solum a peccatis ante mensem elapsum, quod in Const. Benedicti XIV expresse cautum est; sed certo etiam ab excommunicatione, si poenitens non denuntiando, cum posset et teneretur, intra tempus statutum, eam contraxerit, cum haec excommunicatio reservata non sit. Neque vero huiusmodi poenitens videtur reincidere in eandem excommunicationem, si postea fidem fefellerit, cum absolutio hic absolute concedatur, neque aliud ex iure colligatur. Praeterea, quia excommunicatio lata est contra non denuntiantes intra tempus statutum, non autem contra non denuntiantes toties quoties possunt ac debent. Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, vol. II, n. 1267.

SECTIO II.

INTERDICTA

Quatuor sunt interdicta iure lata, quorum unum est speciali modo Sedi Apostolicae, aliud Ordinario reservatum: reliqua non sunt reservata. Primo reservata, deinde non reservata hic subiiciuntur.

§ 1. — *Reservata.*

1.

Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocunque nomine nuncupentur (a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes) *interdictum speciali modo Sedi Apostolicae... reservatum incurrunt.* Can. 2332.

93. - *Universitates... aliaeque personae morales, quocunque nomine nuncupentur.* — Propter idem crimen in personas physicas cuiuscunque dignitatis sancita est excommunicatio latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Confer iam dicta sub num. 5, marg. **22** excommun. speciali modo Sedi Apostolicae reservatarum. Nunc in personas morales, quae excommunicatione, utpote poena mere medicinali, coerceri non possunt, animadvertitur per interdictum, Sedi Apostolicae pariter reservatum. — *Personae morales:* ideo publica Ecclesiae auctoritate constitutae; secus enim sensu iuridico personae non essent. Can. 99. Ad constituendam autem personam moralem requiritur formale decretum erectionis: hinc *piae Uniones*, quae approbationem tantum habent Ordinarii, personae morales non sunt. Can. 708. — *Publica Ecclesiae* etc. Sane nonnisi personae morales, quae sunt in Ecclesia et poenis ecclesiasticis cohiberi possunt, heic intelliguntur: personae vero morales in Ecclesia illae tantum sunt, quae iure canonico

tales habentur. Sicut persona physica non subiicitur censurae vel poenae ecclesiasticae, quia homo vel civis, sed quia baptizatus, nam baptismo Ecclesiae membrum constituitur; ita societas poenae ab Ecclesia sancitae obnoxia non est, qua societas, vel tantum iure civili societas, sed qua iure canonico talis.

Patet canonem maximam habere latitudinem, nullumque corpus morale, iuridica personalitate gaudens, excludi, sive publicum sive privatum, sive ecclesiasticum sive saeculare.

Hoc igitur interdictum non fertur in omnes et singulos, sed in communitatem: interdictum est personale, generale. Ideo quo ad innocentes rationem habet merae privationis; eiusdem effectus, quoad omnes, privatio tantum est exercitii iurium spiritualium, quae personae morali, qua tali, competunt.

Illi vero, qui causam interdicto dederunt, seu nomine communitatis reipsa appellarunt, sunt ipso facto personaliter interdicti. Can. 2338, § 4 et inferius sub num. 4. — Incurruntne etiam excommunicationem, uti supra? Videretur affirmandum, quia licet nomine agant communitatis, crimen tamen personale committunt, non secus ac si suo nomine appellarent. Attamen contrarium est probabile vel fere certum; quia excommunicatio fertur in singulos et nomine proprio appellantes, non in personam moralem, neque in singulos, prout membra communitatis, eiusque nomine appellant. Isti igitur nonnisi interdicto personali speciali subduntur.

Licet tamen hoc interdictum non sit proprie dicta censura, nisi forte contra criminis reos; imo neque poena quoad innocentes, sed privatio tantum; clerici, qui illud violarent, actum sacri ordinis exercendo, irregulares fierent, quia poena communi ab officiis communibus personaliter prohibentur.

A legibus etc., *ad Universale Concilium appellantes.* — En crimen, quo maxima infertur iniuria supremae Romani Pontificis auctoritati: appellatio nimirum ad futurum Oecumenicum Concilium, quasi nempe Concilium Oecumenicum esset supra Romanum Pontificem. Cf. iam dicta sub num. 5 excommunicationum speciali modo Sedi Apostolicae reservatarum.

Neque necesse est appellationem fieri a tota communitate; sufficit enim ut maior pars appellet, neque necessario immediate, sed vel mediate, per suos nempe repraesentantes.

Non comprehendi sub sanctione huius canonis eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum est; sed tantum appellantes pro certo habemus. Neque valet recurrere ad can. 2231, quo statuitur omnes eadem poena teneri, etsi unus tantum in lege nominetur, si plures ad delictum patrandum concurrerint: nam aliud est eadem poena teneri, quod per se aequum est et iustam iudiciorum normam constituit, aliud necessario puniri debere eadem poena. Eadem porro poena, nisi *lex aliud expresse caverit:* verba sunt ipsius canonis. Hic appellantes tantum expresse nominantur: appellantes autem stricte non sunt auxilium, consilium, favorem praebentes. Cfr. in lib. I sub num. **29.**

2.

Sponte... sepulturam (ecclesiasticam) eisdem (infidelibus, apostatis a fide, haereticis, schismaticis, aliisve, sive excommunicatis sive interdictis, contra praescriptum can. 1240, § 1) *donantes (contrahunt) interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum.* Can. 2339.

In prima parte huius canonis alibi relata (cf. num. 2 excommunicationum nemini reservatarum) excommunicatione plectuntur nemini reservata illi, qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles aliosque ibi recensitos. Nunc sponte eisdem donantes ecclesiasticam sepulturam interdicto Ordinario reservato coercentur.

94. - *Sponte.* Eadem animadversio fiat, quae iam saepius occurrit, scil., ignorantiam, metum aliaque voluntarium minuentia a poena excusare.

Eisdem: infidelibus nimirum, apostatis a fide, haereticis, schismaticis et, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, excommunicatis vel interdictis: non omnibus, qui in canone 1240, § 1 recensentur, ut constat ex tenore can. 2339

comparati cum can. 1240, § 1. Cf. sub num. 2 supra citato. Neque ratio deest, cur legislator istis, non aliis sepulturam sponte donantes, poena cohibere voluerit; nam horum prae aliis sepultura maxime cedit in sacrorum iniuriam. Quid sit ecclesiastica sepultura, cf. can. 1204 et dicta sub eodem n. 2.

Donantes: ergo nonnisi clerici possunt hoc interdictum incurrere; nam clericorum tantum est sepulturam *ecclesiasticam* donare. Hinc neque clerici illud incurrunt, qui more laicorum funus comitantur.

Contrahunt interdictum ab ingressu ecclesiae. Cf. can. 2277 et dicta sub num. **64** lib. I. Cum hoc interdictum sit personale speciale et ideo vera censura, nonnisi absolutione auferri potest.

Ordinario reservatum. Inferiores igitur, nisi ex delegatione vel iure in casibus urgentioribus, can. 2254, absolvere non possunt. Ordinarius vero absolvens esse potest; tum loci, in quo clericus deliquit; tum proprius; tum alius, cui delinquens pro absolutione sese submittit, can. 2253, 3°. Attamen, si scandalum est reparandum et condigna satisfactio exhibenda, practice, nonnisi iis praestitis iuxta prudens iudicium Ordinarii loci criminis, absolutio, saltem per se et communiter, dari potest.

§ 2. — *Non reservata.*

1.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis, vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint. Can. 2338, § 3.

95. - *Scienter.* Ad omnia refertur, quae sequuntur. Si scienter, ergo quaelibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis, sufficit ad eximendum ab hac censura. Can. 2229, § 2.

Celebrantes vel celebrari facientes: seu positive mandato, consilio etc., ad celebrandum inducentes. Interdictum igitur est speciale personale et nonnisi clericos afficit, quia divina officia clerici tantum celebrare possunt: et ad ea celebranda vocare vel recipere nonnisi ille stricte dicitur, qui aliquam habet in locis sacris potestatem seu clericus.

Divina. Ut alias, ea intelliguntur, quae sunt potestatis ordinis, quaeque ex Christi vel Ecclesiae institutione ad divinum cultum ordinantur et solis Ecclesiae ministris fas est obire, can. 2256, 1°. Cf. sub. num. **44**, lib. I.

In locis interdictis. Generaliter dicitur, ideoque omnia comprehenduntur loca, utcunque interdicta, sive locali generali sive locali particulari interdicto. Cum vero loca a iure interdicta vitanda non sint, ut censura contrahatur, debent esse nominatim denuntiata. Insuper censura locum non habet, si divina celebrentur diebus et locis et servatis conditionibus, quibus ex iure licet ad normam cann. 2270-2272.

96. - *Admittentes:* iterum illi sunt, ad quorum curam et munus spectat permittere divinorum celebrationem; ergo nonnisi parochi, rectores aliique, quibus custodia loci sacri est commissa. Hinc Suarez, *De Censuris*, D. 37, S. 1: «Si religiosus recipiat sacramentum a persona excommunicata alioqui celebrante... non videtur hanc poenam incurrere, quia ipse proprie non admittit, quamvis cooperetur: secus vero est, si religiosus scienter ministret sacramentum excommunicato denuntiato; nam qui ministrat vere admittit alium ad usum Sacramentorum ».

Ad celebranda officia divina per censuram vetita. Ergo non omnia officia divina; sed ea tantum, quae ratione censurae admissis vetantur: nam ex. gr. in suspensione non omnia officia divina necessario et semper interdicuntur.

Clericos excommunicatos, interdictos, suspensos: personaliter nimirum. Hinc in interdicto v. gr. locali vel in communitatem, nonnisi illos, qui causam interdicto dederunt. Ergo non agitur hic ut antea, de loco interdicto, in quo divina officia a talibus celebrentur; sed de personis, quae per interdictum vel excommunicationem vel suspensionem a divinis arcentur, ad quae

celebranda admittantur. Quapropter tales personas, nempe excommunicatos etc., simpliciter admittentes, sive in loco interdicto sive non interdicto, censuram incurrunt; quam tamen non incurrerent, si alias personali censura non ligatos in loco interdicto iniure admitterent, quia quo ad violationem interdicti localis censura coarctatur ad celebrantes vel celebrari facientes. — Et, si admittentes excommunicatos etc., censuram incurrunt, eo magis celebrari facientes, uti patet, qui insuper duplici censura tenerentur, si locus esset interdictus, quia duplici crimine censura vetito macularentur.

Recolatur etiam quod, si ageretur de excommunicato vitando, admissio seu receptio in divinis secum ferret excommunicationem simpliciter Sedi Apostolicae reservatam, c. 2338, § 2. Cf. sub num. 4 excomm. Sedi Apostolicae simpliciter reservatarum.

Post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. — Non utcunque igitur excommunicatos etc.; sed nominatim excommunicatos etc., admittentes et, ideo, nulla censura in admittentes, si nulla adhuc sententia prodierit contra ipsos.

Interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt. Confer iterum can. 2277 et loc. supra cit. lib. I.

Donec arbitrio eius etc. — Ergo absolutio huius interdicti non ad eum necessario pertinet, qui interdictum locale vel sententiam excommunicationis aut interdicti aut suspensionis tulit; sed, praestita eius arbitrio congruenti satisfactione, potest a quocunque dari confessario in foro interno; et a quocunque Ordinario, cui reus sese subiiciat, in foro externo. — Immo interdictum, sine absolutione, verius per se cessat. — Attamen, quia de congrua satisfactione nonnisi illius est iudicare, qui interdictum locale vel sententiam tulit; et quia absolutio in foro externo valet etiam in interno, sed non vicissim, c. 2251, practice illius est etiam absolvere vel remittere.

2.

Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti. Can. 2338, § 4.

97. - *Qui causam dederunt.* — Illi sunt, quorum culpa interdictum in locum aut in corpus morale latum est. Ita in interdicto Sedi Apostolicae speciali modo reservato ii, qui reipsa appellarunt.

Interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium. Cf. de interdicto sub numm. **58-60** in lib. I.

Sunt ipso facto personaliter interdicti. — Id iam ex iure Decretalium, quod ibidem confirmatur. Cum igitur hoc interdictum sit personale speciale et quodammodo ossibus haereat, personam comitatur ubique et ubique secum fert suos effectus, prout in can. 2275 recensentur.

Videretur hoc interdictum Superiori reservari, qui interdictum in locum vel in communitatem seu collegium tulit, quia crimen propter quod interdictum, certe Superiori interdicenti reservatum, in locum vel communitatem latum est, eiusdem Superioris iudicium subire deberet; eo potissimum, quia a tali iudicio dependet interdicti localis vel generalis personalis dispensatio vel continuatio. Attamen ita non est, quia hoc aliud interdictum personale speciale, in eum scil. qui causam dedit etc., est a iure et non reservatur: ideo potest quilibet confessarius ab eo absolvere. Neque consequens est, si unum est reservatum, et aliud reservari; nam de interdicto agitur omnino diverso, quod est vera censura quodque, ideo, nonnisi absolutione tollitur: nulla vero est necessaria connexio inter absolutionem unius et remissionem alterius; etsi Superior, qui interdictum in locum vel communitatem tulit, exigere possit a reo criminis, propter quod interdictum est latum, congruam satisfactionem et, nonnisi ea praestita, interdictum remittere.

SECTIO III.

SUSPENSIONES

Suspensiones itidem aliae sunt Apostolicae Sedi, aliae Ordinario, aliae nemini reservatae.

Series I.

De suspensionibus « Sedi Apostolicae » reservatis.

1.

Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, *ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit.* Can. 2370.

98. - *Episcopus:* sive residentialis, sive titularis tantum; non vero Cardinalis, qui, licet Episcopus, non venit tamen simpliciter sub nomine Episcopi et sine expressa mentione in lege poenali non includitur, can. 2227, § 2; neque Episcopus orientalis, can. 1, eo vel magis quod apud orientales consecratio episcopalis Romano Pontifici non reservatur.

Aliquem consecrans in Episcopum. — Obiectum igitur huius poenae est tantum consecratio episcopalis, valide quidem, sed illicite peracta, seu sine apostolico mandato: non alia quaevis ordinatio, etsi in casu particulari ad aliquem ordinandum Episcopus fortasse licentia indigeat Apostolicae Sedis.

99. - *Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes.* — In consecratione episcopali requiruntur ad liceitatem duo Episcopi assistentes, qui in ecclesia latina videntur, ex ritu consecrationis, esse cum Episcopo consecratore comministri. Tamen indulto Sanctae Sedis quandoque consecratio

fit ab Episcopo cum duobus, mere assistentibus, presbyteris. Si consecratio episcopalis sine mandato fiat, uti supra, non modo Episcopus consecrator, sed etiam duo Episcopi, vel duo, qui Episcoporum locum tenent, presbyteri assistentes, poenae suspensionis subiiciuntur; dummodo profecto ipsi noverint apostolicum mandatum desiderari. Sed cf. inferius: « Donec Sedes Apostolica etc. ».

100. - *Qui consecrationem recipit:* seu in Episcopum consecratur, valide nempe, quia secus reapse in Episcopum non consecraretur: etiam presbyter latinus, qui forte ab Episcopo orientalis ritus consecretur.

Sine apostolico mandato, contra praescriptum can. 953: quo decernitur consecrationem Episcoporum ita Romano Pontifici reservari, « ut nulli Episcopi liceat quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato ». Ita quidem et consequenter, postquam provisio ecclesiarum cathedralium Sedi Apostolicae reservata est. Mandatum pontificium pro regionibus iuri communi subiectis procedit una cum decreto provisionis a S. C. Consistoriali.

Ipso iure suspensi sunt: statim nimirum et simpliciter absolute; ideoque totaliter, ab officio scilicet et beneficio. Nullum igitur actum sive ordinis sive iurisdictionis exercere valent vel beneficii fructus percipere. Can. 2279, § 1 et 2280, § 1.

Donec Sedes Apostolica eos dispensaverit. — Si ad beneplacitum Sedis Apostolicae: ergo haec suspensio non est proprie censura seu poena medicinalis; sed, vel poena vindicativa, vel, ut videtur omnino, absente delicto, inhabilitas, quae Sedis Apostolicae dispensatione, eaque tantum, aufertur. Ideo vero dispensatione, quia censura non est; nam censura nonnisi absolutione cessat.

2.

Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam. Can. 2371.

101. - *Omnes, etiam* etc. — Prima canonis pars huc non spectat, sed indirecte tantum ad censuram excommunicationis, quatenus clericus de haeresi suspectus et suspensus, nisi intra tempus iure statutum sese emendaverit, uti haereticus habetur et poenis contra haereticos, in primis excommunicationi latae sententiae Sedi Apostolicae specialiter reservatae, obnoxius. Ideo nonnisi secunda canonis pars hic consideranda, qua suspensioni latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae subiiciuntur clerici, qui, prout supra, deliquerint et suspecti propterea de haeresi habeantur; ad ordines scil. scienter per simoniam promoverint vel promoti fuerint, aut alia Sacramenta ministraverint vel susceperint.

Clerici. — Num etiam Episcopi seu, ut in prima canonis parte expresse memorantur, episcopali dignitate aucti? — Videretur affirmandum, quia scopus canonis est severius animadvertere per suspensionem in omnes, qui, ut supra, deliquerint, si non laici, qui ceteroquin suspensionis sunt incapaces, sed ecclesiastici sint. Sub nomine vero clericorum hic venire etiam Episcopos erui videtur tum ex can. 108, § 1, § 2, § 3, quo clerici dicuntur qui, saltem per primam tonsuram divinis ministeriis mancipati, distribuuntur per omnes gradus hierarchiae ordinis divinitus institutae, quae constat Episcopis, presbyteris et ministris; tum ex ipso canone 2371, quo clerici non quidem opponuntur Episcopis, sed laicis, qui forte deliquerint per simoniacam Sacramentorum receptionem. Neque ratio apparet, qua Episcopi excludantur, cum ratione dignitatis et muneris gravius adhuc peccent.

Attamen verius negandum etiam Episcopos huic suspensioni esse obnoxios. Etenim licet Episcopi quoque sint clerici, et potissimum, prout laicis opponuntur, sub nomine tamen clericorum in iure stricte non veniunt, relative ad alios clericos. Neque contextus praesentis canonis suadet a stricta intrepretatione recedendum, quia, dum in prima canonis parte expresse Episcopi includuntur, in secunda, ubi poena sancitur suspensionis, nulla eorum expressa mentio fit. Ratio insuper exclusionis quadantenus assignari potest; quia nempe in Episcopis tale facinus valde rarius, si unquam, invenire est, neque facile, propter praeeminentiam et locum occultaretur; hinc

suspicio de haeresi et consequens, nisi purgetur, excommunicatio: quod satis est: in aliis vero neque crimen perrarum, neque difficilior criminis occultatio, ideo et frequentior immunitas a suspicione et censura.

Qui per simoniam. — En crimen, propter quod clerici in ordinibus et Sacramentis conferendis et recipiendis suspensioni reservatae subiiciuntur. Quid sit simonia, cf. num. 10 excommunicationum Sedi Apostolicae simpliciter reservatarum. Simonia intelligitur realis et quidem iuris divini, qua ultro citroque pretium et ordo vel pretium et Sacramentum collatum est.

Scienter: i. e. si simonia graviter peccaverint et poenam suspensionis huic peccato adnexam non ignoraverint. Attamen, uti saepe monuimus, quidquid voluntarium minuit, ut ignorantia, metus etc. a censura excusat.

Id quidem, si ipsimet simoniam commiserint. Quid vero si ab alio, ipsis scientibus, simonia commissa fuerit? — Si tantum scientibus, nullatenus tamen cooperantibus, suspensio non contrahitur; quia, si ipse promovens vel promotus, administrans vel recipiens, simoniae non est particeps seu vel simoniam committat vel simoniae cooperator exsistat, non est simoniaca ad ordines promotio activa vel passiva, neque simoniaca Sacramentorum administratio vel receptio.

102. - *Ad ordines promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint.* — Obiectum igitur huius simoniae ordines sunt et Sacramenta.

Ordines: num etiam sacra tonsura et Episcopatus? — Videretur ex can. 950: « In iure verba: *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio,* comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949 (presbyteratum scil., diaconatum, subdiaconatum, acolythatum, exorcistatum, lectoratum, ostiariatum) et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur ». Negandum tamen, quia sacra tonsura ordo non est; neque ad ordines promovere vel promoveri proprie est in Episcopum consecrare vel consecrari. Neque obiiciatur can. 950; quia tum ex rei natura tum ex contextu aliud sane eruitur. Ex contextu

quidem, quia nonnisi *clerici* suspenduntur: ergo neque Episcopi sive consecrantes (et quis potest in Episcopum consecrare nisi Episcopus?) sive consecrati; neque laici, qui primo tonsurae collatione fiunt clerici. — De clerico tamen ex privilegio sacram tonsuram conferente, qui certo suspensionem incurreret, si ordines v. gr. minores simoniace conferret, non facile immunitas a censura demonstratur. Ex rei natura etiam quo ad tonsurae receptionem, quia in simplici clerico, cum nullam habeat potestatem ordinis vel iurisdictionis, suspensionis effectus nulli essent.

Sacramenta: pro quorum administratione minister nihil quavis de causa vel occasione, sive directe sive indirecte, exigere aut petere potest, praeter praefinitas vel consuetas praestationes. Praestationes seu taxas huiusmodi praefinire est Concilii provincialis seu conventus Episcoporum provinciae, approbante Sancta Sede, pro tota ecclesiastica provincia, can. 1507, § 1. Verum, ubi deest praefinitio Concilii provincialis, servandae sunt leges dioecesanae vel legitimae consuetudines. — Sacramenta omnia, illa etiam pro quibus accipi, imo et exigi possunt, consuetae praestationes, non ut pretium rei sacrae, sed ut stipendium sustentationis, si minister mente et opere simoniacis agat, v. gr. denegando Sacramentum, nisi prius solvatur sibi stipendium, vel sine titulo stipendium supra taxam lege vel consuetudine determinatam exigat. Mente et opere: quia, si non mente simoniaca minister agat, etsi graviter peccet, quidam benignius sentiunt eumque a censura excusant.

Quid tamen in casu necessitatis, si a simoniaco ministro Sacramenta obtineri nequeant sine pretio? — Cum quilibet ius habeat ad Sacramenta, praesertim necessaria, recipienda, solutio pretii in casu simonia non esset, sed redemptio ab iniusta vexatione et permissio, quae gravi causa excusatur, peccati simoniae in ministrante; ideoque recipiens, si clericus, suspensionem non incurreret.

Suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam. — Dubitandum non est hanc suspensionem esse totalem omnesque, ideo, suspensionis effectus complecti; itemque esse proprie censuram et nonnisi absolutione remitti.

3.

Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur. Can. 2372.

103. - *Suspensionem a divinis* etc. — Ideo suspensus omni actu privatur potestatis ordinis; non modo ordinis ita, ut in canone, male suscepti, sed cuiuscunque ordinis, quam habeat sive per sacram ordinationem sive per privilegium. Can. 2279, § 2, 2°.

Qui recipere ordines: quoscunque, sive maiores et sacros, sive minores, distributive. Excluditur ex dictis in numero praecedenti prima tonsura.

Praesumunt; si ita certa scientia facti et iuris, ut eorum crimen nequeat saltem attenuari. Facti, ordinantem scil. esse talem: excommunicatum etc., et quidem per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; aut apostatam etc., et quidem notorium. Igitur non sufficit tantum novisse esse excommunicatum etc.; vel apostatam etc.: sed tum sententia quoad primo recensitos et notorietas quoad alios, tum utriusque cognitio necessaria est ad censuram incurrendam. Iuris, ordinum scil. receptionem a talibus sub censura prohiberi.

Ab excommunicato vel suspenso vel interdicto: qui prohibetur in divinis communicare.

Post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam: qua prohibentur fideles cum iisdem in divinis communicare, praeterquam in periculo mortis ad recipienda Sacramenta necessaria.

104. - *Aut a notorio apostata vel haeretico vel schismatico:* sufficiente notorietate facti seu fama apostasiae, vel haeresis vel schismatis, etiam nulla sententia intercedente.

Haec suspensio, cum simpliciter feratur, manifesto est per modum censurae.

Qui vero bona fide etc. *careat exercitio ordinis sic recepti, donec dispensetur.* — Bona fide: num sine culpa? Sed intra praesumentes recipere et inculpabiliter ordines etc., recipientes, sunt qui, etsi non praesumant, culpabiliter tamen et, forte, gravi etiam culpa, ordines recipere possunt: num isti excusantur ab omni suspensione? Vix credibile est, si vel ipsi quidem sine culpa omnino recipientes ab ordinis recepti exercitio suspenduntur. Igitur bona fide recipientes nonnisi illi intelligi possunt, qui vel omnino inculpabiliter vel hic et nunc seu actu bona fide recipiunt, quia ignorant vel non considerant (si enim actu animadverterent et libere omnino agerent seu reciperent, praesumerent), licet eorum ignorantia vel error culpabilis et graviter, forte, culpabilis in causa fuerit. — Ita recipientes, seu bona fide, exercitio tantum carent ordinis sic suscepti: ergo non aliorum etiam ordinum, ut in casu praecedenti, in quo suspensio simpliciter fertur a divinis. — Donec dispensetur: ideoque si haec suspensio dispensatione cessat et ad arbitrium Superioris, censura non est; sed vel poena vel simplex privatio, prout culpabiliter vel inculpabiliter quis ordines ab illis, de quibus in canone, receperit. Cum vero dispensationem Sedes Apostolica sibi non reservet, concludendum est iure eam relinqui seu committi Ordinario.

4.

Religiosus clericus, cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit... in maioribus ordinibus (constitutus), ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit. Can. 2387.

105. - *Religiosus clericus.* — Religiosus ille est, qui vota nuncupavit in aliqua religione, can. 488. Ergo non novitius, qui primo professionem emittit votorum temporaneorum; quia ante professionem religiosus non est, neque religiosus fieret professione invalida. Igitur canon intelligendus de religioso per professionem votorum temporaneorum vel perpetuorum

simplicium, qui professionem emittat ex dolo invalidam votorum perpetuorum simplicium vel sollemnium. Et sane hac professione fit perfecte religiosus; neque videtur praesumendum Ecclesiam velle ita severe animadvertere in clericum invalide profitentem, nisi de illa agatur professione, qua eius consummetur cooptatio in religionem.

Attamen alii id intelligunt de quacunque professione, etiam votorum temporaneorum, quae post novitiatum fit, quia lex non distinguit. Ideo *religiosum* accipiunt sensu latiori, de eo scil., qui religionem ingressus per novitiatum et a saeculo separatus coepit in religionem cooptari; vel de eo, qui non re, sed specie est religiosus, quia, professione emissa, invalida sane, uti religiosus habetur. Haec sententia non caret solida probabilitate; immo, cum professio votorum temporaneorum sit conditio sine qua non validitatis professionis votorum perpetuorum, sive sollemnium sive simplicium, can. 572, § 2, verior videtur et in praxi tenenda.

Cuius professio... nulla fuerit declarata. — Ergo, non ipsa professione nulla, suspensio incurritur, sed declaratione nullitatis et statim ab ipsa declaratione. Porro declaratio intelligitur non utcunque, sed iuridica, per sententiam scil. a Superiore religioso, cum suffragio Capituli vel, saltem, re examinata et discussa in Capitulo vel Concilio, prolatam. Haec vero sententia, hinc et consequens suspensio, vitari non potest, quia, sive religiosus dimittatur sive ad aliam professionem admittatur, de nullitate iuridice constare debet.

Ob admissum ab ipso dolum. — Ergo non sufficit, si nulla aut non gravi culpa profitentis, vel dolo ab aliis commisso, inscio profitente, professio sit nulla: sed requiritur ut ipse profitens, cognito impedimento dirimente, v. gr. aetatis; vel apposito, v. gr. defectu interni consensus, sciens volens invalide professus sit. Non autem censetur dolum committere, si vi vel metu gravi, ideoque invalide, profitetur; nam ad dolum non sufficit voluntarium simpliciter, sed et animus requiritur, saltem implicite, fallendi, decipiendi, circumveniendi; qui animus quidem ordinarie deest in agente ex vi vel metu, cuius actus est simul involuntarius secundum quid, quatenus, absente vi vel metu, non poneretur.

106. - *Si sit in maioribus constitutus:* pro aliis enim in minoribus nulla suspensio; sed abiectio decernitur eodem hoc canone a statu clericali, per modum poenae ferendae sententiae, quae huc non pertinet. Clerici vero in maioribus et sacris suspensi ipso facto manent, etsi in religione permaneant, quia lex non distinguit: eo magis, si a religione dimittantur.

Ipso facto suspensus manet: generaliter, ideoque non tantum ab ordine vel ordinibus; sed etiam a iurisdictione, si quam ipse habeat, v. g. parochus; et a beneficio sive religioso sive saeculari, puta, si beneficium parochiale intra annum vel aliud intra triennium a professione adhuc retineat, can. 584.

Donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit. — Si ad beneplacitum Sedis Apostolicae, haec suspensio non est censura proprie dicta, sed vel poena vel, saltem, inhabilitas. Tamen, cum feratur propter dolum in professione admissum, quae invalida exsistit, de facto nonnisi poena est.

5.

In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt:

1° *Qui contra praescriptum can.* 955, *alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint;*

2° *Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit... contra praescriptum can.* 993, *n.* 4; 994;

3° *Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can.* 974, § 1, *n.* 7;

4° *Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can.* 966. Can. 2373.

107. - *In suspensionem per annum:* ergo suspensio haec est ad modum poenae, et tempore elapso, cessat.

Ab ordinum collatione: ergo neque a potestatis iurisdictionis, neque a potestatis ordinis exercitio, vel episcopalis, quo ad alios omnes actus, praeter ordinum collationem.

Sedi Apostolicae reservatam: quoad absolutionem scil. seu, potius, dispensationem intra annum. Hanc incurrunt:

108. - 1° *Qui contra praescriptum can.* 955 *alienum subditum* etc. — Etenim iuxta can. 955 unusquisque debet a proprio Episcopo ordinari, vel cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis. Legitimis, de quorum nempe authenticitate constet neque revocatis: iure tamen non revocantur, sed adhuc valent, resoluto iure dantis, puta, morte vel officii dimissione. Canones 962; 963.

Litterae dimissoriae ita appellantur, quia Ordinarius hisce proprium subditum veluti a se dimittit, eum subiiciens quoad ordinationem alii Episcopo: et sane scriptis exhibent consensum expressum et licentiam proprii Ordinarii, ut eius subditus ab alio Episcopo ordinetur.

Ordinarius vero proprius valens dimissorias litteras concedere est, non modo dioecesis ordinandi Episcopus (originis scil. et domicilii vel domicilii tantum, dummodo in hoc altero casu promovendus iuramento animum firmet in dioecesi perpetuo manendi, « nisi agatur de promovendo clerico, qui iam per primam tonsuram dioecesi incardinatus est, vel de promovendo alumno, qui servitio alterius dioecesis destinatur, ad normam can. 969, § 2; vel de promovendo religioso professo, de quo in can. 964, n. 4 ». Can. 956), statim a possessione legitime capta dioecesis, etsi nondum consecratus: sed etiam Vicarius Capitularis de consensu Capituli post annum a sede vacante; immo et intra annum, sed solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum: necnon Vicarius aut Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius:* non vero Vicarius Generalis sine speciali mandato. Can. 958.

Quoad religiosos litteras dimissorias concedit: pro *religiosis exemptis*, eorum Superior maior, can. 964, 2°: pro *non exemptis* loci Ordinarius, cuius iurisdictioni domus religiosa subiacet, ad quam pertinet sodalis ordinandus, can. 964, 4°.

Litterae dimissoriae requiruntur quidem: ideoque stricte, ad formam iuris, res scriptis agi debet; sed non incurrit certo

suspensionem alienum subditum ordinans ex licentia ab eius Ordinario *oretenus* sibi data.

Suspensionem non effugit qui primam tonsuram tantum conferat, ex can. 950; nam, neque ex contextu, neque ex rei natura, apparet exceptio.

Si, acceptis litteris dimissoriis, alia etiam testimonia requirantur, ut, puta, si interim ordinandus ibidem seu in dioecesi ordinantis vel alibi tanto tempore moratus fuerit ut canonicum potuerit contrahere impedimentum, Episcopus ordinans, sine eisdem testimoniis receptis vel quaesitis, illicite quidem ordinaret, can. 960, § 2, § 3; sed suspensionem non incurreret.

109. - 2° *Qui subditum proprium* etc.: seu ordinantes proprium subditum sine litteris testimonialibus Ordinarii loci, in quo ordinandus tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum, censuras scil. vel irregularitates, contrahere potuerit, can. 993, 4°; nempe sex mensibus post pubertatem: tribus tamen regulariter pro militibus: nisi propter impossibilitatem vel nimiam difficultatem eas obtinendi, iuramentum sufficiat suppletorium a promovendo praestandum, can. 994, § 1, § 2.

Ordinans suspensionem incurreret, sive sine litteris testimonialibus, sive sine iuramento suppletorio, ubi istud iure sufficiat, ordinaret, quia iuramentum illas supplet; neque canon dicit: qui subditum proprium etc. sine litteris testimonialibus, sed contra praescriptum can. 993, n. 4; 994 ordinaverit; praescribitur autem ut vel litterae habeantur testimoniales vel, si haberi moraliter nequeant, deferatur iuramentum suppletorium.

Subditum proprium: ideo qui subditum ordinet alienum cum litteris quidem dimissoriis Ordinarii illius, sed sine testimonialibus, prout iure requiruntur (cf. supra), etsi graviter peccet, suspensionem non incurrit. Sed quid de Ordinario proprio: nonne ipse proprium subditum per alium ordinaret sine litteris testimonialibus, ideoque suspensioni subiiceretur? Videretur, considerato fine legis, quae litteras testimoniales ab Ordinario proprio promovendi prae primis colligendas ad or-

dinationem omnino praerequirit: tamen, cum ipse non *ordinet*, sed tantum procuret ut subditus ordinetur et simus in odiosis, probabile putamus suspensionem ipsum effugere.

110. - 3° *Qui aliquem ad ordines maiores* etc.: seu ordinantes in maioribus sine titulo canonico, scil. pro saecularibus: titulo *beneficii*, eoque deficiente, *patrimonii* vel *pensionis*, iisque etiam deficientibus, *servitii* dioecesis vel, in locis S. Congreg. de Propaganda Fide subiectis, *missionis:* pro regularibus titulo *paupertatis:* pro religiosis titulo *mensae communis*, *congregationis* aliusve similis ad normam constitutionum. Cann. 974, § 1, 7°; 979; 980; 981; 982.

Titulus aliquis semper requiritur; nam ordinibus maioribus, ideoque ab ipso subdiaconatu, specialiter Deo clericus consecratur, imposita etiam obligatione castitatis et officii divini recitandi, et irretractabiliter per se Ecclesiae servitio mancipatur. Iamvero non decet Ecclesiae ministrum, ne careat sustentatione, aliquando forte compelli ad artem indecoram exercendam vel victum emendicandum: debet igitur ex nunc habere et pacifice possidere quantum sufficit, quandiu vivit, ad honeste vivendum. Quapropter iam in Concilio Trident. Sess. XXI, *de Reform.*, c. 2 praecipiebatur: « ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum ».

Ideo iure cautum etiam est ut Episcopus ordinans sine titulo (vel dimissorias concedens) debeat ipse, necnon ipsius quisque successor clerico ita ordinato egentique necessaria praebere, donec congruae eiusdem sustentationi aliter provisum fuerit, can. 980, § 2. — Non tamen suspensionem effugeret Episcopus ordinans sine titulo, interim vero onus sustentationis suscipiens, ordinatum postea de titulo provisurus.

Ex dictis patet et iure firmatur, can. 979, § 2, titulum non modo requiri actu exsistentem, sed et insuper vere securum

pro tota ordinati vita et vere sufficientem ad congruam eiusdem sustentationem, quae, cum sit varia pro diversis locorum et temporum circumstantiis, relinquitur determinanda secundum normas ab Ordinario dandas.

Quid igitur si Episcopus sciens volens clericum ordinet, qui titulum quidem habeat, sed vel non securum vel insufficientem? — Si non securum, putamus incurrere suspensionem, quia titulus non firmus seu non iure certo fundatus et pacifice possessus et possidendus titulus non est. Si insufficientem, videretur distinguendum inter titulum beneficii et alios titulos. In primo casu, cum titulus vere suaque natura canonicus exsistat, putamus Episcopum suspensionem non incurrere, etsi teneatur supplere quod sustentationi deest. In aliis vero casibus patrimonii scil. vel pensionis, cum isti tituli sint extraordinarii et suppletivi, si non sufficiant, contrarium tenemus, Episcopum nempe suspensionem non effugere.

Aliquem: ideoque sive subditum sive non subditum.

111. - 4° *Qui salvo legitimo privilegio, religiosum* etc.: seu ordinantes religiosum de domo extra territorium ordinantis posita, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitimo privilegio vel in casibus iure expressis. — Religiosi exempti a nullo Episcopo ordinari possunt, sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris; hic enim est eorum Ordinarius. Verum Superior religionis non potest, salvo speciali privilegio, litteras dimissorias mittere ad quem velit Episcopum; sed ad Episcopum tantum dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus, can. 965. Excipitur, si Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore (scil. Quatuor Temporum, Sabbato ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto, c. 1006, § 2), vel dioecesi vacante, Administrator careat charactere episcopali: et, quocunque in casu, de hoc constet Episcopo ordinandi ex authentico Curiae episcopalis testimonio, c. 966, § 1, § 2.

Si Episcopus igitur alterius dioecesis ab illa, in qua domus religiosa, ad quam sodalis promovendus pertinet, sita est,

religiosum ordinet, etiam cum dimissoriis litteris eius Superioris religiosi, nisi vel legitimo privilegio, vel in casu aliquo authentice probato ex illis supra expressis, suspensionem incurrit. — Quamnam vero poenam incurrat Superior religiosus indebite dimissorias concedens, cf. sub num. 3 suspensionum nemini reservatarum.

6.

Si... dimittatur (professus, qui vota perpetua emisit et clericus in sacris) ob delicta minora iis, de quibus in can. 670, *ipso facto suspensus manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit.* Can. 671, 1°.

112. - *Si... dimittatur* etc. — Sanctio huius canonis est in religiosos criminales, qui vota perpetua, vel tantum simplicia, nuncuparunt et in sacris, e religione dimissos per sententiam iustam, et a Sancta Sede seu a Congregatione negotiis religiosorum sodalium proposita confirmatam. Cann. 649; 650, § 1, § 2, 2°, § 3; 654; 668. *In sacris;* quia, si in minoribus tantum ordinibus, dimissus non suspenditur, sed eo ipso ad statum reducitur saecularem, can. 669, § 2. Perinde est sive agatur de religione exempta sive non exempta, sive clericali sive laicali. Sufficit religiosum in perpetuum vovisse et esse in sacris; statim a sententiae confirmatione per S. Congregationem suspensus manet.

Ob delicta minora iis, de quibus in can. 670. — Delicta maiora, de quibus in can. 670, quibus minora opponuntur delicta huius canonis, sunt tum delicta, quae referuntur in can. 646, tum delicta, quae iure communi puniuntur (lata vel ferenda sententia) infamia iuris (ideoque in casibus tantum iure expressis, can. 2293, § 2), vel depositione aut degradatione. Quaenam sint hic sub uno conspectu subiicimus, ne pervolutare cogaris Codicem Iuris Canonici.

1° Publica apostasia a fide catholica.

2° Fuga arrepta cum muliere.

3° Attentatio aut contractus matrimonii, vel vinculi tantum civilis. Can. 646.

4° Specierum consecratarum abiectio, vel ad malum finem abductio aut retentio. Can. 2320.

5° Violentarum manuum in personam Romani Pontificis iniectio. Can. 2343, § 1, 2°.

6° Item in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis. Can. 2343, § 2, 2°.

7° Missae celebrationis simulatio aut sacramentalium confessionum ministerium a non sacerdote. Can. 2322.

8° Beneficii, officii vel dignitatis ecclesiasticae occupatio propria auctoritate facta; aut eiusdem possessionis vel regiminis seu administrationis susceptio vel ab ipso legitime electo, praesentato vel nominato, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure. Can. 2394, 2°.

9° In officio, beneficio, dignitate detinendis, non obstante legitima privatione aut remotione, pertinacia vel dolosa cunctatio. Can. 2401.

10° Cadaverum vel sepulcrorum mortuorum ad furtum vel alium malum finem violatio. Can. 2328.

11° Abortus procuratio, effectu secuto. Can. 2350, § 1.

12° Homicidium culpabile, raptus impuberum alterutrius sexus, venditio hominis in servitutem vel alium malum finem, usura, rapina, furtum qualificatum vel non qualificatum in re valde notabili, incendium vel malitiosa et valde notabilis rerum destructio, gravis mutilatio vel vulneratio vel violentia. Can. 2354, § 1, § 2.

13° Duelli perpetratio vel in duello munus patrini. Canon 2351, § 2.

14° Delictum contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitas, sodomia, lenocinium, incestus cum consanguineis aut affinibus in primo gradu (vel lineae tantum collateralis). Can. 2359, § 2.

15° Sollicitatio ad turpia, de qua in Constitutionibus apostolicis, nominatim in Constit. Benedicti XIV « *Sacramentum Poenitentiae* », 1 ian. 1741 (cf. sub num. 12 excommunicationum speciali modo Apostolicae Sedi reservatarum); tamen in casibus tantum gravioribus. Can. 2368.

Hisce delictis, maioribus scil., reus gravioribus poenis punitur, tum medicinalibus tum vindicativis, vel latae vel ferendae sententiae, ut in suis locis videre est. Aliis vero delictis, minoribus nempe, religiosus a votis perpetuis, dimissus

Ipso facto suspensus manet: scil. ipso facto dimissionis et statim a dimissione, confirmata, ut iam diximus, a S. Congregatione. Suspensio, uti patet, est totalis.

Donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit. — Haec suspensio est per modum censurae. Patet, tum quia absolutione remittitur, tum quia ad delinquentis infligitur emendationem. Can. 671, 7°.

7.

Capitula..., conventus aliique omnes ad quos spectat..., electos, praesentatos vel nominatos (ad beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam) ante litterarum (confirmationis vel institutionis) exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi manent ad beneplacitum Sedis Apostolicae. Can. 2394, 3°.

113. - *Capitula:* quaecunque, cathedralis, collegiatae vel monasteriorum.

Conventus: seu aliae personae morales collegiatae.

Aliique omnes: seu, extra Capitula et conventus, personae physicae, ex. gr. Episcopus, Metropolita, Superior regularis etc.

Ad quos spectat: seu de iure competit immittere in possessionem beneficii, officii vel dignitatis ecclesiasticae. — Capitula, conventus aliique, ad quos spectat, non sunt necessario illi ipsi, qui elegerint, praesentaverint, nominaverint; nam isti, si neglecta auctoritate illius, cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo iure, pro ea vice, ipso facto privati manent, can. 2393. Alii igitur sunt, quibus iure competit immittere in possessionem vel regimen seu administrationem utcunque provisos, vel per Apostolicam Sedem, de beneficio, officio vel dignitate ecclesiastica, si eos admittant, non exhibitis litteris authenticis confirmationis vel institutionis. Et

merito quidem, quia non modo indigni ab officiis, beneficiis, dignitatibus ecclesiasticis sunt arcendi; sed insuper cavendum est ne legitimi habeantur qui tales non sunt. Nec refert a quonam confirmatio vel institutio danda sit, sive a Sede Apostolica, sive ab Ordinario sive ab alio; nam verba canonis sunt generalia.

Electos, praesentatos vel nominatos. — Sane praesentatio nullum ius tribuit praesentato, sine institutione Superioris: et electio vel nominatio non semper ius in re, sed tantum ius ad rem electo vel praesentato tribuit, quae saepius non est definitiva, sed indiget Superioris confirmatione: quae institutio vel confirmatio in scriptis dari debet, can. 177, § 3.

Ante litterarum exhibitionem admittentes: — quibus scil. authentice constet de confirmatione vel institutione a Superiore. Patet ex dictis.

Ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi manent: — nimirum simpliciter et absolute, seu non tantum ad idem beneficium, officium, eandem dignitatem, si, puta, vicissim nunc eis ius devolveretur; sed ad quodcunque beneficium, officium et quamcunque dignitatem. Admittentes igitur huius canonis gravius puniuntur quam ipsi eligentes, nominantes, praesentantes, de quibus supra, iuxta can. 2393. Et merito, quia gravius adhuc suo iure abutuntur, faciliusque illegitimi officia, beneficia, dignitates usurparent. — *A iure eligendi* etc., quod scil., Capitulo etc. uti tali competit. Ergo neque ab officio neque a beneficio: quae suspensio praecipue, sed non unice, attingit.

Ad beneplacitum Sedis Apostolicae. — Igitur suspensio haec nonnisi poena est, quae proinde culpam, et gravem quidem, supponit. Tamen lata in Capitulum, conventum seu corpus morale, reos ut poena quidem afficit, sed alios ut privatio tantum.

Series II.

De suspensionibus « Ordinario » reservatis.

1.

Clericus... (si... contra praescriptum can. 120 *ausus fuerit ad iudicem laicum trahere... non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem) incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario.* Can. 2341.

114. - *Clericus* (*si contra* etc., *aliam personam* etc.). — Ob idem crimen in S. R. E. Cardinales vel Legatos Apostolicae Sedis, necnon Officiales maiores Romanae Curiae vel Ordinarium proprium, sancita est eodem canone excommunicatio speciali modo reservata: in Episcopum vero (praeter proprium Episcopum), etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius* vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicatio simpliciter reservata. Cf. sub num. 8 excommunicationum speciali modo et sub num. 5 excommunicationum simpliciter reservatarum.

Si agitur de aliis, inferioribus scil., tamen privilegio fori gaudentibus, immo vel de ipsis Officialibus maioribus Romanae Curiae, qui trahantur ad iudicem laicum propter alia negotia ab illis, quae referuntur ad suum officium, nulla excommunicatio latae sententiae fertur; sed suspensio tantum ab officio in clericum, qui sine debita Ordinarii licentia, ausus fuerit ad iudicem laicum trahere istorum quemlibet.

Suspensionem ab officio. — Privatur igitur suspensus quocunque exercitio ordinis, iurisdictionis necnon administrationis ex officio competentis can. 2279, § 1. Aeque vero suspensionem incurrit clericus, sive in causa criminali, sive in causa civili, id agat, quia lex non distinguit et privilegium immunitatis a foro laicali utrunque complectitur. Insuper hanc suspensionem esse censuram manifesto patet.

Reservatam Ordinario: — vel proprio, scil. clerici delinquentis, quia unusquisque iure suo Ordinario subiicitur; vel loci, in quo causa peragitur; vel alii, cuius iudicio reus sese submittat. Can. 2253, 3°.

Attamen duae conditiones requiruntur, uti patet, ad hanc suspensionem incurrendam: ausus nempe et licentiae defectus obtinendae ab Ordinario loci. Ideo in canone:

Si... ausus fuerit. — Potest igitur clericus adhuc excusari ignorantia, sive iuris, sive poenae, sive facti; vel metu, iuxta saepius dicta.

115. - *Non obtenta ab Ordinario loci licentia.* — Licet ergo cum licentia, quam de cetero Ordinarii locorum, sine iusta et gravi causa, non denegabunt; tum maxime, cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederint. Canon 120, § 2, § 3. — Non dicitur ab Ordinario pertrahendi vel pertrahentis, sed ab Ordinario loci, in quo scilicet clericus, privilegio gaudens immunitatis, apud iudicem laicum trahitur seu cogitur: et merito, quia non iam agitur de iudicio ferendo, forte, in alienum subditum; sed de mera licentia, de cuius convenientia et opportunitate Ordinarii loci melius est iudicare, attentis praesertim loci circumstantiis.

2.

Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris. Can. 2386.

116. - *Religiosus fugitivus:* ille est, qui sine Superiorum licentia domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi. Can. 644, § 3. Et deserere domum profecto non proprie dicitur is, qui ad breve tempus, v. gr. ad horas; sed is tantum, qui diu noctuque, vel ad paucos dies, imo ad unam alteramve diem, sine Superiorum licentia, extra domum religiosam maneat. — Animus vero redeundi semper praesumitur, nisi facto vel iure praesumatur contrarium. *Facto*, si, v. gr. deposito habitu religioso, vestem saecularem constanter

et cum scandalo indueret vel, peius adhuc, matrimonium attentaret. *Iure*, si intra mensem neque ad religionem rediisset, neque animum redeundi Superiori manifestasset. Can. 644, § 2. — In utroque casu non iam simpliciter fugitivus, sed a religione apostata merito haberetur et, uti talis, tractaretur. Confer sub num. 5 excommunicationum Ordinario reservatarum.

Fugitivus autem non est qui ex licentia rationabiliter praesumpta Superioris, in casu necessitatis, extra domum maneat; neque qui a suo Superiore notabiliter gravatus, sine eius licentia, quam frustra et forte non sine maiori discrimine peteret, exeat domo et recta via pergat ad mediatum Superiorem, a quo sublevari possit; imo licitum id ei est. Neque obstat Trident. Sess. XXV, cap. 4, *De Regularibus;* nam ibidem recessus a domo interdicitur regularibus sub *praetextu* ad Superiores suos accedendi, ideoque ex nulla vel levi causa.

Incurrit in privationem officii, etc. — Id huc non pertinet, quia privatio non est suspensio, sed mera poena vindicativa, qua illud ipsum, a quo alias quis posset suspendi, penitus aufertur.

Et suspensionem... si sit in sacris. — Suspensionem generaliter latam, ideoque secundum omnes eius effectus: sed nonnisi religiosus in sacris eam incurrit, seu presbyter, diaconus vel subdiaconus; non religiosus in minoribus, pro quo eodem canone poenae secundum constitutiones vel prudens iudicium Superiori relinquuntur decernendae.

Proprio Superiori maiori reservatam. — Ideo absolvi non potest nisi ab Abbate, sive Primate sive Superiore religionis monasticae vel monasterii sui iuris eorumve vicariis; aut a Generali vel Provinciali eorumve vicariis; aut ab iis, quibus potestas absolvendi in casu ab eisdem delegatur. Can. 488, 8°. — Haec suspensio, quae nonnisi per proprium Superiorem maiorem absolutione tolli potest, profecto post delinquentis resipiscentiam, est certo censura.

Series III.

De suspensionibus « nemini » reservatis.

1.

Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis. Can. 2366.

117. - *Sacerdos:* — ergo neque diaconus vel inferior clericus, neque Episcopus.

Qui sine necessaria iurisdictione. — Iurisdictio enim scripto vel verbis expresse concessa (ideo neque praesumpta neque tacita sufficit) omnino, ut omnes norunt, requiritur ad confessiones tum licite tum valide audiendas. Can. 872 et 879, § 1.

Quinam habeant in foro Poenitentiae iurisdictionem iuxta nunc vigentem disciplinam merito recolitur, ne in re tam gravi deceptioni sit locus. Igitur

118. - Iurisdictionem *ordinariam* habent:

1° S. R. E. Cardinales in universa Ecclesia, etiam quoad religiosos utriusque sexus. Can. 239, § 1, 1° et 873, § 1.

2° Pro suo territorio seu dioecesi vel quasi-dioecesi Ordinarius loci, item quoad religiosos etiam utriusque sexus. Can. 873, § 1 et 874, § 1.

3° Pro suo territorio seu paroecia vel quasi-paroecia parochus aliique qui loco parochi sunt. Can. 873, § 1.

4° Pro dioecesi canonicus poenitentiarius, ecclesiae quoque collegiatae. Can. 401, § 1 et 873, § 1.

5° Superiores religiosi exempti pro suis subditis ad normam constitutionum. Can. 873, § 2.

Qui habent ordinariam absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum. Can. 881, § 2.

119. - Iurisdictionem *delegatam* habent:

1° Omnes qui eam receperint a loci Ordinario, in quo confessiones excipiuntur. Et nonnisi Ordinarii loci est iuris-

dictionem conferre sacerdotibus, tum saecularibus tum religiosis, etiam exemptis, ad confessiones excipiendas sive saecularium, tam laicorum quam clericorum, sive religiosorum non exemptorum vel religiosorum religionis laicalis, quamvis exemptae. Ordinarii vero loci est vel etiam Superioris religionis clericalis exemptae iurisdictionem conferre sacerdotibus suae religionis, vel saecularibus, vel alterius religionis, ad confessiones audiendas professorum, novitiarum, aliorumque in eiusdem religionis religiosa domo diu noctuque degentium causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis. Can. 514, § 1; 874, § 1 et 875, § 1, § 2.

2° Sacerdos, etiam non approbatus a suo Ordinario, qui a S. R. E. Cardinali vel ab Episcopo electus fuerit pro se suisque familiaribus, iuxta privilegia S. R. E. Cardinalium et Episcoporum. Can. 239, § 1, 2° et 349, § 1, 1°.

3° Omnes qui peculiari iurisdictione fruuntur ad confessiones excipiendas religiosarum et novitiarum, pro quibus non sufficit iurisdictio communis, can. 876, § 1: nisi aliqua religiosa ad tranquillitatem suae conscientiae extra domum religiosam confiteatur, in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico; vel graviter aegrotans, etiam extra mortis periculum, quemlibet alium accersat confessarium. In utroque casu sufficit ut confessarius sit ab Ordinario loci pro mulieribus approbatus. Can. 522 et 523.

4° Omnes sacerdotes in periculo mortis, licet ad confessiones non approbati, quoad quoslibet poenitentes et quaecunque peccata vel censuras, praesente etiam sacerdote approbato, can. 882: etiam sacerdotes in peccato turpi complices, etsi absolutio vel tunc sit illicita, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem. Can. 884.

5° « Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes ». Ipsi « dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusve portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquandiu con-

sistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis. — Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellantibus confiteri petant eosque valide et licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis ». Can. 883, § 1, § 2.

Uti iurisdictio ordinaria quoad subditos non limitatur ad locum et, ideo, potest Ordinarius, et canonicus poenitentiarius, etiam ecclesiae collegiatae, dioecesanos, parochus suos parochianos ubique locorum absolvere (cf. supra): ita iurisdictio, tam ordinaria quam delegata, in loco non limitatur ad personas. Propterea « omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide et licite absolvere. Can. 881, § 1.

120. - Praeter nuper enumeratos casus legitimae iurisdictionis, casus sunt iurisdictionis verae quidem, qua valide, non tamen licite, absolvitur, seu usurpatae: ex. gr. erroris communis vel complicis in peccato turpi in mortis periculo, si confessarius complex iniure eum audiret et absolveret; vel iurisdictionis dubiae, dubio positivo iuris aut facti: in quibus omnibus Ecclesia ad bonum animarum iurisdictionem supplet. Caduntne isti casus sub sanctione huius canonis suspensione punientis praesumptionem confessiones audiendi sine necessaria iurisdictione? quia in hisce casibus iurisdictio, certo habetur.

Dicendum dispositum huius canonis verificari et suspensionem contrahi in casu erroris communis, non vero in casu absolutionis complicis vel iurisdictionis positive dubiae. Ratio primi est quia tunc sacerdos confessiones audit sine iurisdictione, etsi Ecclesia tunc, quando absolvit, suppleat iurisdictionem. Ratio secundi est, quia confessarius complex non caret iurisdictione, etsi ea abutatur complicem illicite absolvendo: canon vero, de quo agimus, evidenter animadvertit in sacerdotem non confessarium. Ratio tertii est, quia sacerdos absolvens cum iurisdictione, quam se habere prudenter iudicat,

non censetur absolvere sine necessaria iurisdictione: imo tum in dubio iuris tum, ex causa proportionata, in dubio facti, licite agit.

Praesumpserit. — Ideo excusat ignorantia non tamen affectata, can. 2229, § 1, § 2, sive facti, ex. gr. si hic et nunc non recordetur seu non advertat se carere iurisdictione, quae ad tempus concessa iam exspiravit; sive iuris, ex. gr. si nesciat iurisdictionem esse necessariam vel putet sufficere iurisdictionem praesumptam; sive poenae, si scil., etsi audiendo confessiones delinquat, tamen ignoret suspensionem a divinis esse huic delicto adnexam. — Idem dicito de metu, etiam levi.

Sacramentales confessiones. — Confessio est sacramentalis semper ac poenitens sua peccata manifestat in ordine ad absolutionem: et tunc tantum. Ideo si confessio fiat ad alium finem, puta ad consilium petendum, ad solamen quaerendum etc. suspensioni locus non est.

Audire. — Ergo sacerdos suspensionem incurrit, etsi non absolvat vel fingat absolvere. Sufficit ut, tanquam confessarius, cum confessarius non sit, confessionem audiat.

Est ipso facto suspensus a divinis: — scil. ab omni actu potestatis ordinis, quae sive per sacram ordinationem, sive per privilegium habetur. Can. 2279, § 2, 2°. Evidens est hanc suspensionem esse censuram.

2.

Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit... a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus. Can. 2366.

121. - *Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit.* — Cf. iam dicta in numero praecedenti: idque tantum animadverte iurisdictionem, de qua in hoc canone, utpote in reservata, esse specialem, quae, si non concedatur a iure, ut in quibusdam casibus, nonnisi a reservante vel eius superiore vel successore haberi potest. Etenim reservatio limitatio est iurisdictionis, qua superior quasdam causas seu peccata ad suum revocat iudicium: unde fit ut, manente in confessario facultate quoad alia, nulla quoad ista per se sit facultas.

A peccatis reservatis. — Signanter dicitur a peccatis, non a censuris. Non sufficit igitur peccatum esse reservatum ratione censurae; sed debet esse reservatum ratione sui, sive sine censura sive cum censura.

Porro unum tantum est peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi, falsa scil. delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos; a quo nullus confessarius absolvere potest nisi in mortis periculo et, quidem, praestitis iure praestandis. Can. 894 et 2363. Confer dicta sub num. 12 marg. **35** seqq. excommunicationum speciali modo reservatarum.

Sunt insuper peccata reservata ab Ordinariis, sibi scil. quae, iuxta tamen monitum cann. 895-898, alia et alia esse possunt. Ista etiam sub sanctione huius canonis comprehenduntur, quia verba: « a peccatis reservatis », sunt generalia; ideoque de quacunque reservatione intelligi debent, sive iuris communis sive iuris particularis, sive pontificii sive dioecesani. Insuper verba illa incongrue, uti patet, ad unicum peccatum Sanctae Sedi reservatum coarctarentur.

Attamen ab istis, ab Ordinariis nempe sibi reservatis, iure quibusdam conceditur facultas absolvendi: parochis scil., aliisque qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili: et singulis missionariis, quo tempore missiones ad populum haberi contingat. Can. 899, § 3.

Imo quaevis reservatio omni vi caret seu cessat: 1° « Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa; 2° Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; 3° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit ». Can. 900.

Absolvere. — Ideo, secus ac in casu praecedenti, non sufficit confessionem tantum audire; imo neque sufficit absolutionem simulare; sed ipsa forma absolutionis est proferenda,

quidquid sit de intentione proferentis, sive intendat sive non intendat absolvere. — Num sacerdos, de quo in numero praecedenti, si non tantum confessionem audiat, sed etiam absolvat et a reservatis quidem, et hanc censuram incurrit? Negandum omnino, tum quia canon manifeste distinguit inter sacerdotem non confessarium iniure confessiones audientem et confessarium iure audientem, sed iniure a reservatis absolventem; tum quia sacerdos sine iurisdictione audiens, etsi absolvat et a reservatis absolvat, capax non est poenae ibi sancitae, uti patet.

Quum tamen absolutio a reservatis tantum indirecta esse possit, puta, si poenitens bonae fidei una cum reservatis alia non reservata confiteatur, merito quaeritur an poenam hic statutam incurrat confessarius, qui non vult a reservatis absolvere, sed tantum ab aliis, manente in poenitente obligatione reservata confitendi apud alium facultate praeditum? Et videtur negandum, quia confessarius in casu reapse non praesumit a reservatis absolvere, etsi poenitentem absolvat reservatis etiam obnoxium.

Ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus. — Et merito quidem; nam, cum abutatur facultate sibi concessa, praetergrediendo huius limites, iustum est ut eadem facultate privetur.

Haec item suspensio, uti praecedens, est per modum censurae.

3.

Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus. Can. 2374.

In can. 2373 suspensio ipso facto incurrenda decernitur in indebite ordinantes. Cf. supra sub num. 5 suspensionum Sedi Apostolicae reservatarum. In hoc autem canone coercentur indebite ordines *suscipientes*, scil. non servatis iis, quae in can. 955 de ordinatione recipienda a proprio Episcopo aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis; in cann. 974-976 de aetate canonica; in can. 977 quo ordinationes per saltum omnino prohibentur, praescribuntur. Igitur

122. - *Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris:* — ab alio nimirum quam proprio Episcopo ordinandus.

Quinam sit Episcopus proprius ratione ordinationis recipiendae can. 956 et 957 statuitur. Cf. dicta sub eodem n. 5, uti supra.

Quid sint litterae dimissoriae; quinam earum effectus et necessitas; quis quibusque eas iure concedat etc. item iam diximus. Cf. iterum sub num. 5 et cann. 958-967.

Litterae dimissoriae falsae aeque intelliguntur, sive litterae dimissoriae ex integro confictae, sive originaliter verae, sed corruptae, ita scil. ut sensus in re substantiali alius evadat: secus enim suspensioni non est locus.

123. - *Vel ante canonicam aetatem.* — Nam prohibetur ne subdiaconatus conferatur ante annum vicesimum primum completum; diaconatus ante vicesimum secundum completum; presbyteratus ante vicesimum quartum completum. Can. 975.

Pro ordinibus vero minoribus aetas non taxative determinatur, ut pro ordinibus maioribus, sed can. 976, § 1 praescribitur ne quis « sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum ». Inter primam vero tonsuram et subdiaconatum ordines minores ita sunt conferendi, ut inter ipsos lapsus temporis, prudenti iudicio Ordinarii, interiiciatur: et ita quidem, ut neque ordines minores cum subdiaconatu, neque prima tonsura cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque ordines minores una simul conferantur. Can. 978.

124. - *Vel per saltum.* — Ordines enim « gradatim conferendi sunt, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur ». Can. 977. Haec sane est a remotis temporibus doctrina et praxis, semperque habitus est ut male ordinatus, valide quidem sed illicite, ordinatus per saltum, seu qui receperit ordinem superiorem, non recepto ordine inferiori. Valide quidem, si excipiatur episcopatus, praetermisso presbyterato, susceptus; iuxta enim communem DD. sententiam consecratio esset non modo illicita, sed etiam invalida.

Ad ordines: sive maiores sive minores. Non comprehenditur tamen prima tonsura, licet ad eam etiam recipiendam litterae dimissoriae et aetas canonica requirantur; quia nulla est potestas sacra, a qua simplex clericus suspendi possit.

Malitiose accesserit: seu sciens et volens, in contemptum et in fraudem legis: hinc ignorantia, vel crassa et supina, aut metus, etiam levis, excusat. Patet vero haec verba ad omnia referri, quae praecedunt, scil. accedentes sine dimissoriis vel cum falsis dimissoriis, vel ante canonicam aetatem vel per saltum.

Est ipso facto a recepto ordine suspensus. — Igitur non ab aliis, quos iam legitime receperit, sed ab ordine tantum, quem ita, prout supra, iniure suscepit. Ideo accessio ad ordinem intelligenda est cum effectu, ordinis nempe vere valideque recepti. Haec suspensio censura est: verum etsi possit clericus ab ea, utpote non reservata, absolvi statim atque a contumacia recesserit, adhuc tamen prohibetur ordinem male receptum exercere, donec ordinem praetermissum susceperit.

4.

Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, *n.* 3, *ipso facto subiacet suspensioni a divinis.* Can. 2409.

125. - *Vicarius Capitularis:* — ille est, qui electus a Capitulo, cann. 429, § 3 et 432; vel ab alio, ad quem ex iure, can. 432, § 2, § 3; vel ex privilegio, can. 431, § 2, spectat electio, regimen habet dioecesis, sede vacante vel impedita. — Potest quidem Sancta Sedes Administratorem constituere, can. 431, § 1: potest Episcopus impeditus Vicarium Generalem vel alium virum ecclesiasticum ad administrandam dioecesim delegare, can. 429, § 1: Episcopus translatus ad aliam sedem, ante captam novae sedis possessionem, obtinet in sede, a qua, Vicarii Capitularis potestatem; sed non potest ad istos extendi sanctio huius canonis: versamur enim in odiosis.

Concedens litteras dimissorias pro ordinatione. — De litteris dimissoriis iterum cf. sub num. 5 suspensionum Sedi

Apostolicae reservatarum. Nomine ordinationis hic non modo ordines, sive maiores sive minores, accipiuntur, sed etiam prima tonsura, can. 950; quia neque ex natura rei, neque ex verborum contextu eruitur limitatio.

Contra praescriptum can. 958, § 1, *n.* 3. — Sane hoc canone praescribitur Vicarium Capitularem nonnisi post annum a sede vacante et de consensu Capituli, posse litteras dimissorias dare: intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis, sine dilatione sit providendum. Vicarius itaque Capitularis, qui intra annum non arctatis litteras dimissorias pro ordinatione concedit; vel post annum, sine consensu Capituli, graviter delinquit et censuram ibi sancitam incurrit, etsi ignorantia crassa et supina id agat, quae, nisi exigatur praesumptio (et hic non exigitur: dicitur enim concedens, non concedere praesumens) a poenis, vel medicinalibus, non excusat. Can. 2229, § 3.

Ipso facto subiacet suspensioni a divinis. — Cf. sub num. 1, marg. **120**, huius seriei.

5.

Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium vel dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit. Can. 2400.

126. - *Clericus.* — Quilibet sane, cuiuscunque etiam dignitatis vel praeeminentiae, Episcopo tamen inferior. Hic, seu Episcopus, non includitur, quia in iure, ut iam diximus, non designatur nomine clerici simpliciter.

Qui in manus laicorum. — Non quorumcunque; sed illorum, qui civili potiuntur auctoritate et valent, iure civili, resignationem acceptare, etsi acceptatio, uti et resignatio, sit omnino invalida, quia de re agitur, quae iuri canonico exclusive subiicitur. Unica auctoritas, cui officium, beneficium etc. resignari et a qua resignatio acceptari potest, est Romanus Pontifex vel Ordinarius.

Officium, beneficium vel dignitatem ecclesiasticam. — Confer iam dicta sub num. 10, marg. **63** excommunicationum Sedi Apostolicae simpliciter reservatarum.

Resignare. — Resignatio seu abdicatio accipi debet expressa et formalis, omnibus munita a iure civili requisitis, quibus in foro civili effectum habere possit.

Praesumpserit. — Cf. saepius dicta. Suspensionem non incurreret clericus, nisi plena, tum legis tum poenae, cognitione et libertate, ageret.

Ipso facto in suspensionem a divinis incurrit. — Haec suspensio, ut patet, stricte censura est. Quinam eius effectus cf. in can. 2279, § 2, 2°, et sub num. 1 huius seriei.

6.

Abbas vel Praelatus nullius, *qui contra praescriptum can.* 322, § 2 *benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus.* Can. 2402.

127. - *Abbas vel Praelatus* nullius. — Ille dicitur, qui territorio proprio, separato ab omni dioecesi (ideo *nullius*, nempe dioecesis), cum clero et populo, praeest: Abbas vel Praelatus, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter praelatitia gaudet. Can. 319, § 1.

Qui contra praescriptum can. 322, § 2 *benedictionem non receperit.* Can. 322, § 2 praescribitur ut Abbas vel Praelatus *nullius*, qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debet, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerit, accipiat. — Litteris apostolicis receptis iam gaudet iurisdictione; imo litteris apostolicis exhibitis cui vel quibus de iure, potest et legitime habere possessionem, regimen et administrationem: adhuc tamen benedictionem intra tres menses, nisi obstet impedimentum, ab aliquo Episcopo recipere debet. Secus, tribus mensibus elapsis, de momento in momentum computandis, can. 34, § 2, poenam incurrit hic statutam.

Est ipso facto a iurisdictione suspensus. — A iurisdictione scil. tum externi tum interni fori. Igitur adhuc ei permittuntur omnes actus ordinis et administrationis.

Huic suspensioni, quae certo est censura, nulla adiicitur reservatio: ergo absolvi potest a quocunque confessario, etiam ab Abbate vel Praelato *nullius* in suo territorio ante suspensionem approbato; neque enim quia loci Ordinarius suspenditur a iurisdictione, etiam alii, qui ab eo iurisdictionem habuerunt, puta, confessarii, aeque suspenduntur. — Attamen non ita evacuatur praescriptum can. 322, § 2, quia neque obligatio, tempore elapso, perimitur benedictionis petendae; neque ipse Abbas vel Praelatus licite absolutionem peteret vel confessarius, daret, nisi iam benedictione ab aliquo Episcopo recepta vel, cum sincera intentione eam quamprimum accipiendi, interim iurisdictionis exercitium per Abbatem vel Praelatum urgeret. Imo in foro externo uti suspensus haberetur, donec benedictionem recepisset.

7.

Superiores religiosi qui, contra praescriptum can. 965-967, *subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione.* Can. 2410.

128. - *Superiores religiosi.* — Sunt Superiores maiores, can. 488, 8°, religionis exemptae, nam «religiosi exempti a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris», can. 964, 2°: non alii, quia «ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis regitur iure saecularium», can. 964, 4°.

Qui contra praescriptum can. 965-967 etc. — Cf. can. 2373, 4° et sub num. 5 suspensionum Apostolicae Sedi reservatarum, ubi refertur praescriptum can. 965-967 et poena in Episcopum indebite religiosos ordinantem. Nunc autem in Superiores religiosos animadvertitur, quorum est litteras dimissorias concedere, non modo si easdem concedant praeter casus can. 966 designatos; sed etiam si in fraudem agant, subditum videlicet ordinandum ad aliam eiusdem religionis domum mittant aut

concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus sit ordinationes, can. 967.

Ordinandos remittere. — Omnes comprehenduntur ordines, maiores vel minores, et etiam prima tonsura, can. 950.

Praesumpserint. — Igitur ad poenam incurrendam plena cognitio; tum facti, seu Episcopum esse alienum; tum iuris, seu legis prohibentis; tum poenae, seu suspensionis a Missae celebratione, et plena volitio exigitur: iterum ergo ignorantia, non tamen affectata, et metus, etiam levis, excusat.

Ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione. — Cum haec suspensio lata sit per mensem duratura, non est censura, uti patet, sed poena vindicativa. Cumque poena vindicativa sit temporanea, non cessat nisi expiatione vel dispensatione.

Verum quisnam dispensare valet? Cum haec suspensio non sit Sedi Apostolicae reservata, uti reservata est suspensio, item mere poenalis, lata in can. 2373 (cf. sub num. 5 suspensionum Sedi Apostolicae reservatarum) putamus dispensationem, vel, potius, poenae suspensionem, donec mensis elabatur, committi cuicunque confessario in foro sacramentali. — Ceterum Ordinarius potest per se vel per alium poenas latae sententiae iure communi statutas, pluribus tamen exceptis, remittere, can. 2237. Superiores vero maiores in religionibus clericalibus exemptis veniunt sub nomine Ordinarii; neque poena suspensionis hic statuta inter exceptas recensetur. Nonne potest Superior religiosus, si hanc suspensionem incurrerit, alteri, puta, confessario, delegare facultatem in sui favorem exercendam? Neque videtur obstare quod iudicialis potestas, tam ordinaria quam delegata, exerceri nequeat in proprium commodum, can. 201, § 2, nam non agitur de absolutione, qua terminatur iudicium sacramentale; sed de dispensatione, quae proprie exercitium iudicialis potestatis non est; neque Superior in casu potestatem exerceret dispensando, sed mere delegando.

APPENDIX

De censuris in delicta, quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, iuxta Constit. Pii X, Vacante Sede Apostostolica, 25 dec. 1904. Can. 2330.

PROOEMIUM

1. - Novem sunt excommunicationes latae sententiae, *specialissimo modo* reservatae Romano Pontifici: a quibus nullus, ne maior quidem Poenitentiarius, cuiuslibet facultatis vigore, nisi in mortis articulo, absolvere potest. *Const. memor.* num. 51.

Nisi in mortis articulo. — Nonne in mortis etiam periculo? Ita sane quia, licet stricte idem non sit mortis articulus et periculum, tamen pro eodem communiter accipiuntur, cum fere eadem sit spiritualis necessitatis, in articulo atque in periculo: neque est verisimile legislatorem coarctare voluisse absolvendi facultatem ad vitae extremum et fere ad agoniam. Ceterum can. 882, *in periculo mortis* omnes sacerdotes valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a *quibusvis peccatis* aut *censuris.*

Verum nonne in *casibus* etiam *urgentioribus*, extra periculum mortis, iuxta can. 2254? — Ratio dubitandi est quia Summus Pontifex voluit in huiusmodi delicta severissime animadvertere; neque casus urgentiores, de quibus in can. 2254,

possunt articulo mortis ita comparari ut merito, vel late saltem, eodem nomine designentur. Attamen putamus omnino non esse a communi iure recedendum, quo in hisce casibus confessarius in foro sacramentali absolvere potest a censuris latae sententiae quoquo modo reservatis; ideoque etiam ab istis in Constit. « *Vacante Sede Apostolica* » contentis. Summus Pontifex per illud « nisi in mortis articulo » videtur prae oculis habuisse per se et ordinarie, non autem per accidens, contingentia seu casus extraordinarios: ad quos tamen, ne lex aequo rigidior evadat, beneficium absolutionis extendi debet per rationabilem *epikeiam*. Ideo in casu periculi scandali vel infamiae, si exterius censura servetur; vel specialis dispositionis, valde quidem laudabilis, poenitentis, aegre prorsus ferentis diutius in statu peccati gravis permanere (cf. dicta de Censuris in genere n. **46** et seqq.) absolutio, permanente tamen gravissimo onere recursus, a quocunque confessario dari potest. Quis enim censeat rigorem legis eousque procedere, ut in hisce casibus quis cogatur vel scandalum suscitare infamiamve incurrere, vel peccare per sacrilegam forte censurae violationem? — Ceterum authenticam interpretationem exhibet, ni fallimur, ipse Codex Iuris Canonici, eodem can. 2254, qui prodiit post citatam Constit. Pii X; nam licet censuras confirmet in eadem contentas, can. 2330, tamen amplissime pro censuris latae sententiae quoquo modo reservatis, concedit confessario facultatem absolvendi in casibus urgentioribus.

1.

Cardinales omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita Conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent; cui legi, si quis non obtemperaverit, latae sententiae excommunicationis poenam incurrat. Constit. cit. num. 37.

2. - *Cardinales omnes et singuli.* — Horum etenim tantum est ius et officium ad scrutinium conveniendi, numm. 27 seqq. Alii omnes excluduntur. Secretarius etiam Sacri Collegii et Magistri Caeremoniarum, quibus opus praeparatorium quoad

schedulas committi potest, debent ab aula discedere, antequam Cardinales nomen eligendi in schedulis scribere coeperint, ita ut tempore scrutinii Cardinales soli in Cappella remaneant, num. 64.

Valetudine non impediti. — Sola igitur valetudine excusantur. Necesse tamen non est ut lectulo detineantur; nam sufficit ut non sine gravi incommodo queant cubiculum deserere: ideoque non modo febricitantes, sed etiam valde senes vel chronica infirmitate laborantes, qui non possent, nisi aliorum substentaculo, deambulare, excusantur.

Porro Cardinales etiam infirmi in suis cellis suffragium ferunt, per schedulas scilicet ad ipsos in disco delatas a tribus Cardinalibus Infirmariis, iam antea electis, num. 63; quas vel ipsimet secrete scribent, obsignabunt et complicabunt et, praevio iuramento, num. 67, in capsulam ab ipsis Infirmariis pariter delatam, iamque a Scrutatoribus, conspicientibus omnibus Cardinalibus, vacuam repertam et deinde clausam, clavi reposita super altare, per rimam mittent: vel, si scribere nequeant, ad praedicta facienda opera utantur alicuius ex tribus Cardinalibus Infirmariis aut alius, ex ordine tamen clericali, eorum arbitrio deligendi, qui, iuramento praestito in manibus Infirmariorum, secretum tenetur servare, sub poena excommunicationis latae sententiae, num. 69.

Ad scrutinium convenire debent. — Scrutinium praescribitur singulis diebus a prima die post clausum praecedenti nocte Conclave, bis peragendum: mane scilicet post solitam Missam et Hymnum *Veni Creator Spiritus*, cum oratione de Spiritu Sancto et, prima quidem tantum die, post Cardinalium sacram peractam Communionem: et post meridiem hora opportuna, pariter post Hymnum *Veni Creator Spiritus* et orationem de Spiritu Sancto, num. 77.

Cui legi, si quis etc. — Manifestum est nonnisi delinquentes censura puniri, eos nempe, qui malitiose scrutinio abfuerint.

2.

Volumus ut epistolae, aut cuiusvis generis scripta, etiam typis edita, tum ad eos, qui in Conclavi sunt (non exceptis S. R. E. Cardinalibus), tum praesertim e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula S. Collegii Secretarii, ac simul Praelatorum qui ad custodiam Conclavis deputati sunt, examini atque inspectioni subiiciantur. Absolute autem omnibus interdicimus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave mittantur. Qui vero contra fecerint, poenae excommunicationis latae sententiae subiaceant. Constit. cit. num. 50.

3. - *Volumus ut epistolae* etc. — Iam praecedenti num. 49 praescribitur ut clauso Conclavi, nulli ad colloquium cum Cardinalibus vel aliis in Conclavi partem habentibus, admittantur, nisi praesentibus Praelatis, quibus Conclavis custodia concreditur et nisi voce et idiomate intelligibili loquantur. Et si quis forte (quod absit) clam ipsum Conclave ingrediatur, omni honore, gradu atque officio et beneficio ipso facto privatus exsistat. — Ulterius nunc quaelibet alia etiam communicatio, sive per epistolas vel alia scripta, sive per libros, ephemerides, diaria vel quaecunque alia typis impressa interdicitur, nisi antequam (exceptis ephemeridibus, quae extra mitti non possunt, cf. infra) extra mittantur, vel admittantur, omnia et singula examen et inspectionem subierint, tum S. Collegii Secretarii, tum simul Praelatorum, qui ad custodiam Conclavis deputati sunt.

Neque Cardinales excipiuntur neque epistolae de negotiis omnino privatis, quae proinde vel apertae tradi debent vel examinatae inspectaeque a S. Collegii Secretario et Praelatis, coram ipsis sigillentur. Neque rigida nimis putetur haec dispositio quoad epistolas; nam, si quod est periculum ne Conclavis secreta divulgentur, in epistolis praesertim periculum latet. Scribentes igitur vel sua secreta epistolis non committant; vix enim casus cogitari potest urgentis necessitatis: vel, si committunt, patiantur ea participari a S. Collegii Se-

cretario et Praelatis, qui tamen, uti patet, epistolarum secreta secrete servare tenentur. Bonum Ecclesiae praevalet.

4. - *Absolute autem omnibus interdicimus* etc. — Ergo ephemerides quotidianae et periodicae, etsi non prohibeantur, sub examine tamen et inspectione illorum, de quibus supra, admitti: extra Conclave nullatenus mitti possunt. Et merito, quia istae ephemerides, ut plurimum, quid in Conclavi agatur speculantur et quandoque vel tantum ex coniecturis vel etiam ex positivis indiciis, quae casu vel imprudentia aut malitia praesto sint, vera divulgant. Iamvero quisque videt earundem missionem extra Conclave esse periculosam, quatenus vel ex condicto (quod nefas est) cum extraneis, vel ex circumstantiis tum personae mittentis, tum ephemeridis ipsius talia vel talia de Conclavi imprimentis, medium evulgationis secretorum Conclavis fieri potest.

3.

Ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertineant, et in iis quae in Conclavi seu in loco electionis agantur. Hinc quaecumque directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt, sive verba, sive scripta, sive signa, aut alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino tenentur; ita ut hanc legem violantes excommunicationem ipso facto incurrant. Const. cit. num. 51.

5. - *Ab omnibus in Conclavi partem habentibus.* — Ideo non tantum a S. R. E. Cardinalibus; sed et ab aliis, quotquot sunt, qui intra Conclave, quocunque munere, vel simplicis famulatus, functuri, manere iure permittuntur. Quinam isti sint, numm. 38, 43 eiusdem Constit. decretorie statuitur, nimirum: — *duo clerici servientes*, vel *unus clericus* et *unus laicus*, pro unoquoque Cardinali; *tertius* tamen indulgeri potest, suffragio vel consensu maioris partis S. Collegii, Cardinalibus infirmis et graviter affectis: — Pius tamen PP. XI decrevit ut cuilibet Cardinali, quamvis liberum sit duobus servientibus, clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico uti, liceat ta-

men unum solum eumque laicum in Conclave secum adducere, 15 Mart. 1922. — Sacri Palatii Apostolici *Sacrista* cum *uno* vel *pluribus* (ad S. Collegii arbitrium) *Clericis coadiutoribus* in officio Sacristae: — *Magistri Caeremoniarum non plures quam sex*, muneribus, quae ad ipsos pertinent, vacaturi: — *unus* tantum *S. Collegii Secretarius:* — *unus Religiosus* pro confessionibus excipiendis: — *duo Medici:* — *unus Chirurgus:* — *unus Aromatarius* cum *uno* vel *duobus servientibus:* — tandem *tot alii* pro Conclavis utilitate et commoditate, *quot*, et non plures, *necessitas postulet.*

De Conclavistis illis, de quibus supra, unicuique Cardinalium concessis, statuitur numm. 32-42: eos neque Praelatos esse posse, neque consanguineos vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium, neque eiusdem Ordinis aut Congregationis Religiosae: — nonnisi probatos admitti, ideoque eorum qualitates ante ingressum in Conclave et, iterum, post ingressum, esse a Cardinalibus deputatis diligenter inquirendas: — iuramentum saltem una vel altera die ante ingressum in Conclave, cura S. R. E. Cardinalis Camerarii, esse eis deferendum: — Conclavi egressos (idque de omnibus aliis valet servientibus), ex causa tantum infirmitatis manifestae et notabilis a medicis iuramento probatae, et de consensu deputatorum, non posse amplius reverti eorumque loco alios eodem tempore admittendos: — e Conclavi dimittendos, si contigerit Cardinalem, cui serviunt, vita fungi.

Secretum religiosissime servetur in iis omnibus etc. Igitur secretum strictissime urget: tamen quo ad ea omnia et sola, quae ad electionem Romani Pontificis pertinent et quae in Conclavi seu in loco electionis agantur.

Distinguitur inter omnia et singula, quae ad electionem pertinent et ea, quae in Conclavi seu loco electionis agantur. Sed nonne quae in loco electionis aguntur ad electionem pertinent et vicissim, et ideo in iis secretum servandum, ne ea prodantur, quae pertinent ad electionem? — Neque possunt quae ad electionem pertinent ea intelligi, quae in loco electionis gesta sunt, quatenus de eisdem secretum est servandum etiam post electionem et Conclave, seu semper, nisi peculiaris loquendi facultas aut expressa dispensatio a Summo Pontifice

concessa fuerit: nam verum est secretum perpetuo obligare, nisi etc.; sed, uti manifesto constat ex iuramento a Conclavistis praestando, non sub poena excommunicationis, post Conclave. Quae igitur ad electionem Romani Pontificis pertinent, intelligenda sunt de electione in fieri, quae re ab iis non distinguuntur, quae in loco electionis aguntur. Cur ergo in verbis Constit. distinguuntur? Ratio est quia obiectum secreti religiosissime servandi non modo ea, omnia et singula, comprehendit, quae immediate ad electionem referuntur, quaeque revelata proderent cur et quomodo fiat ut hic, puta Pius XI, prae aliis Romanus Pontifex eligatur; sed alia etiam, quae tum in scrutinio eiusque antecedentibus (antescrutinio) et consequentibus (postscrutinio), tum in Cardinalium Congregationibus, durante Conclavi, peraguntur. Cf. num. seq.

Neque dicatur haec omnia, facienda, esse iure determinata, ideoque nemini secreta: nam aliud est enuntiare quid faciendum, aliud referre quid in concreto factum sit seu circumstantias actionis, quae aliae et aliae esse possunt.

6. - *Hinc quaecumque directe vel indirecte secretum violare* etc. Directe secretum violant verba, scripta, signa etc., quae secretum ipsum: indirecte, quae aliquid aliud, ex quo tamen secretum rationabiliter colligitur, manifestant. Igitur directe vel indirecte non ad intentionem referuntur: et, profecto, censuram incurreret, non modo qui directa intentione secreti manifestandi, sed etiam qui mere praevidens verba etc. adhiberet quae in se, vel indirecte tantum, secretum panderent.

Ita ut hanc legem violantes etc. Scienter nempe violantes: ideo excusat ignorantia, nisi crassa vel supina sit.

4.

Specialiter autem, sub eiusdem excommunicationis poena, Cardinales prohibemus, ne suis familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave sive ipso durante habitis acta vel decreta sint. Constit. cit. num. 52.

7. - *Specialiter autem* etc. — Videretur haec prohibitio et censura Cardinales tantum attingere, non vero Secretarium S. Collegii aliosve Conclavistas, qui ab excommunicatione saltem immunes essent, si ea panderent, sive extraneis sive aliis Conclavistis, utcunque cognita, quae scrutinium directe vel indirecte respiciunt vel in Cardinalium Congregationibus acta aut decreta sint. Sed ita non est, quia ex numero praecedenti tum isti omnes, tum Cardinales, aeque censuram incurrerent. Itaque prohibitio generalis num. praec. urgetur hic, sub *eadem* censura, speciatim pro Cardinalibus; tum quia facile putari posset secretum obligare quidem quoad extraneos, non quoad familiares et Conclavistas, tum quia communicatio ista cum familiaribus est practice unica vel fere unica via, qua secreta Conclavis ad extraneos pervenire possint. — Specialis tamen et prohibitio et censura dici potest, et propter personarum (familiarium seu Conclavistarum) circumstantiam, et potissimum propter prohibitionis et censurae extensionem, idque pro Cardinalibus tantum, ad ea etiam, quae in Congregationibus ante Conclave acta vel decreta sint.

Ne suis familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis, ea pandant quae etc. — Obiectum igitur secreti ea omnia sunt: quae scrutinium directe vel indirecte respiciunt; et quae in Cardinalium Congregationibus, sive ante Conclave sive ipso durante, habitis, acta vel decreta sint.

Scrutinium heic complectitur etiam antescrutinium et postscrutinium; nam scrutinii ritus tres continet actiones: aliam, quae *antescrutinium;* aliam, quae *scrutinium;* et tertiam, quae *postscrutinium* appellari potest, num. 58 eiusdem Constit. quarum uniuscuiusque plures sunt actus, videlicet: 1° *Antescrutinii:* praeparatio schedularum, extractio Scrutatorum, Deputatorum pro votis infirmorum et Recognitorum per sortem, scriptio schedularum, earum complicatio, obsignatio earundem, numm. 59-65; 2° *Scrutinii:* delatio schedulae, iuramenti praestatio, positio schedulae in calicem, schedularum mixtio, earum enumeratio, scrutinii publicatio, schedularum in filum insertio, earum depositio seorsum, numm. 66-74; 3° *Postscrutinii:* numeratio suffragiorum, eorum recognitio et schedularum combustio, num. 75.

Directe vel indirecte respiciunt. — Conf. dicta in num. praec.

8. - *Itemque quae in Cardinalium Congregationibus* etc. — Congregationes aliae sunt generales ante Conclave et praeparatoriae quotidie habendae, a die obitus Pontificis usque ad diem quo Conclave Cardinales ingrediuntur, etiam diebus, quibus exsequiae defuncti Pontificis persolvuntur, num. 10: aliae generales, durante Conclavi, pro negotiis gravioris momenti et indaginis, quae ad S. Collegium Cardinalium deferri debent: aliae particulares, quae sive ante sive post coeptum Conclave haberi poterunt ad levioris dumtaxat momenti et in dies seu passim occurrentia negotia expedienda, quaeque constant tribus Cardinalibus antiquioribus, uno ex quoque ordine, cum Camerario, quorum officium tertia die post Conclavis ingressum omnino exspirat, in eorumque locum tres alii sequentes in ordine, quolibet tertio die, una cum eodem Camerario, succedunt, num. 6.

Prohibitio et censura acta respicit decretave in Congregationibus ante Conclave et durante Conclavi, sive generalibus sive particularibus. Post vero Conclave iterum, uti in praec., prohibitio manet, nisi peculiaris facultas etc., sed censura cessat.

5

Simoniae crimen, tam divino quam humano iure detestabile, in electione Romani Pontificis, omnino, sicut reprobatum esse constat, ita et Nos reprobamus atque damnamus, huiusque criminis reos poena excommunicationis latae sententiae innodamus. Constit. cit. num. 79.

9. - *Simoniae crimen* etc. — Quid sit simoniae crimen constat ex Codice Iuris Canonici, cann. 727-730. Conf. de singulis censuris sub num. **62** lib. II.

Simonia heic simonia est iuris divini; nam haec stricte est simonia neque cogimur a stricto verborum sensu recedere. Cf. l. c. de singulis censuris. Neque obstant sequentia: « tam divino quam humano iure detestabile »: nam idem omnino

simoniae crimen dicitur utroque iure, divino et humano, detestabile; quod bene intelligitur de simonia iuris divini, quae iure etiam ecclesiastico severissime sub sanctionibus poenalibus prohibetur; sed non aeque bene de simonia iuris tantum ecclesiastici, quae iure divino non prohibetur, nisi consequente et mediato.

In electione Romani Pontificis. — Ergo non in aliis, ex. gr. electione Officialium Conclavis: neque in quocunque cuiuscunque mercenario conatu ad Cardinalium favorem captandum pro alicuius papabilis electione, nisi Cardinales suum venderent suffragium. — Simonia igitur in electione Romani Pontificis est simonia, qua venditur-emitur electorum seu Cardinalium suffragium, sive propria sit emptio-venditio pecunia numerata, sive alius contractus emptioni-venditioni similis, quo eligendo vel aliis onus imponatur temporale, quasi pretium. *Eligendo*, si v. gr. inter hunc et Cardinales pactiones fierent de Cardinalium honorario (*piatto cardinalizio*) augendo; vel de officiis, beneficiis, dignitatibus sibimetipsis (Cardinalibus) aut personis ab eisdem designatis conferendis. Nam, ni fallimur, etiam haec simonia quoad officia, beneficia etc. simonia est iuris divini. Obiectum enim immediatum simoniaci contractus favor est eligendi ad temporale commodum captandum, honoris vel lucri. Quod si quis iure contendat hanc simoniam iuris esse ecclesiastici, malumus sacrificare censuram, ut maneat principium: nonnisi scil. simoniam iuris divini sub hac censura prohiberi. *Aliis*, v. gr. si quis Cardinalium papabilis coniuncto vel amico suffragium promitteret sub hac conditione, ut hic suum patrocinium praestet apud eligendum vel alios ad aliquid obtinendum temporale pro se vel pro suis.

In electione, ita nimirum ut quantum est ex vi suffragii lati ab huius criminis reo simoniaca sit electio. Ipsa igitur activa electione seu suffragii latione crimen consummatur et tunc, non antea, contrahitur excommunicatio.

6.

Item sub excommunicationis poena prohibemus ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere praesumat. Const. cit. num. 80.

10. - *Item sub excommunicationis poena prohibemus.* — Iam Symmacus Papa in Synodo Romana (1 mart. 499) sub poena depositionis prohibuit omnibus et singulis Romanae Ecclesiae clericis ne, vivente Pontifice, suffragia quaererent pro eius Successore vel ad hunc finem conventicula adunarent et consilia conferrent. Paulus V vero in Const. « *Cum secundum Apostolum* » XVII kal. ian. 1558, id ipsum severissime omnibus tum clericis tum laicis, iterum interdixit et damnavit, adiecta in delinquentes excommunicatione Romano Pontifici reservata, ipso facto incurrenda.

Ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat. — Ergo, nulla exceptione, omnes huius criminis rei, sive clerici sive laici, sive viri sive mulieres, et ipsi etiam Cardinales, excommunicationi subiiciuntur.

Vivente Romano Pontifice et eo inconsulto. — Duae igitur conditiones requiruntur ut quod in canone prohibetur, crimen constituat et censura ob id contrahatur; videlicet ut tractatus aliave, uti supra in can., habeantur: 1° dum adhuc vivit Summus Pontifex; nam ideo damnantur, quia ei sunt iniuriosa et periculorum plena; 2° Eo inconsulto; nam, eo consulto et volente vel permittente, ratio cessat iniuriae et periculi: hinc nullum crimen nullaque proinde censura.

Tractare de ipsius Successoris electione etc. — Tria expresse sub censura prohibentur, quae accurate ponderari debent, ut censura intra proprios limites contineatur. Igitur prohibetur:

1° *Tractare* de ipsius (Romani Pontificis) Successoris electione. Tractare non est tantum academice loqui; sed agere etiam, vel saltem proposita cum aliis coniicere, consultationes inire, consilia conferre, intuitu actionis.

11. - 2° *Aliquod suffragium polliceri.* — Id est favorem, auxilium spondere ad alicuius electionem in Romanum Pontificem. Profecto proprie dictum et formale suffragium polliceri nonnisi Cardinales possunt, quibus ius exclusive competit electionis Romani Pontificis: ideo Cardinales hic directe attinguntur: sed *aliquod* suffragium innuit praeter formale suffragium, quemcunque conatum vel operam pro eligendo in Romanum Pontificem, et quidem ad eius electionem promovendam. Ideo alii, praeter Cardinales, sub sanctione huius clausulae comprehenduntur.

12. - 3° *Privatis conventiculis factis aliquid deliberare et decernere:* de futuri nempe Pontificis electione. Quod igitur hic prohibetur sunt secretae machinationes, quibus proxime media parantur ad exsecutionem. Nam deliberare et decernere est practice definire et statuere simul opus peragendum et circumstantias exsecutionis.

Tria haec progressionem quamdam exhibent, qua crimen successive aggravatur; a colloquiis, practicis sane, de futuri Romani Pontificis electione usque ad ultimas de eadem conclusiones et determinationes. Neque id superfluum videatur, quatenus maius censetur sub minoris prohibitione contineri; nam in censuris ferendis quo clarius crimen in individuo determinatur, eo tutius, ne scil. censurae nimis stricta vel praepostera interpretatione effectu frustrentur.

Praesumat. — Ignorantia igitur, etiam crassa et supina, sive facti sive iuris, legis vel poenae, ab hac censura excusat: item metus, etiam levis, ut videtur ex can. 2229, § 2 et § 3.

7

Quae autem in... Nostra Constitutione « Commissum Nobis » *de civili* Veto *seu* Exclusiva, *uti vocant, in electione Summi Pontificis ediximus et sanximus, hic omni ex parte atque integre renovantes, confirmata esse volumus. Quamobrem iterum in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et poena excommunicationis latae sententiae, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium, aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus ne quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant* Veto *sive* Exclusivam, *etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc* Veto, *qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante.* Constit. cit. num. 81.

13. - *Quae autem in... Nostra Constitutione* « Commissum Nobis » etc. — Finis huius Constit. est Ecclesiae tueri libertatem, qua divinus eius Institutor eam donavit ad suam vitam plene, uti par est, explicandam et missionem explendam, libertatem tuendo in Romani Pontificis electione. Etenim si qua est in Ecclesiae vita functio quae huiusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis, quae in Romani Pontificis electione versatur: siquidem salus non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de Capite consulitur (Gregorius XV Constit. « *Aeterni Patris* » in prooem.). Cum vero huic in Summo Pontifice eligendo plenae libertati in primis opponatur civile illud *Veto* a supremis nonnullarum civitatum rectoribus haud semel prolatum, quo tentatur aditum ad Supremum Pontificatum alicui praecludere, neque constituta a Romanis Pontificibus et mutata temporum adiuncta hoc impedimentum praesumptumque ius adhuc penitus eliminaverint, in illud haec Pii X Constit. severissime animadvertit eisdem

verbis, quibus iterum in Constit. « *Vacante Sede Apostolica* », uti supra.

Veto autem gravissime reprobato, Summus Pontifex eisdem vocibus, quibus Eius Decessores, S. R. E. Cardinales vehementer hortatur ut in eligendo Pontifice, Principum saecularium intercessionibus ceterisque mundanis respectibus minime attentis, (Pius IV Constit. « *In eligendis* », § 26; Clemens XII Constit. « *Apostolatus Officium* », § 5), sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum prae oculis habentes, in eum sua vota conferant, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint. Decernit tandem hanc Suam cum aliis id genus Constitutionibus legendam coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis haberi solita: rursum post ingressum in Conclave: item cum quis ad purpurae honorem fuerit evectus, interposito iuramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti Constit. decreta sunt.

Porro nullatenus reale, sed praesumptum tantum seu fictitium esse hoc ius, quod *Veto* seu *Exclusiva* vocant, historice et canonice constat. Historice quidem, quia, quidquid antea conati sint supremi nonnullarum civitatum rectores, ut Conclave suis placitis inflecterent, nonnisi circa dimidium saeculi XVII *Veto* in forma iuris apparet. Sed ubinam iuris titulus? siquidem Apostolica Sedes, ex qua sola huius iuris concessio oriri posset, non modo *Veto* nunquam probavit, sed potius, tum ante tum post dimidium saec. XVII, pluries expresse reprobavit. Ita Pius IV in Constit. « *In eligendis* » 9 oct. 1562; Gregorius XV in Constit. « *Aeterni Patris Filius* » 15 nov. 1621; Clemens XII in Constit. « *Apostolatus Officium* » 11 octobr. 1732; Pius IX in Constit. « *In hac sublimi* », 23 aug. 1871. Ita sane, ut merito Summus Pontifex Pius X in praefata Constit. « *Commissum Nobis* » asserere potuerit Romanos Pontifices in iis, quae de habendo Conclavi constituerunt, nihil paene maiori contentione studiose curatos esse, quam ut externae cuiusvis potestatis interventum a sacro Cardinalium Senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsarent. Canonice etiam, quia omnes insuper conditiones deficiunt quibus ius saltem consuetudinarium haberetur; praesertim rationabilitas, utpote contra ius divinum et in Ecclesiae perniciem, et praescriptio. Praeterea actus

aliquoties tantum et raro positi non sufficiunt ad ius acquirendum quasi per consuetudinariam possessionem: haec enim neque iure neque facto exsistit.

Quamobrem iterum... sub... poena excommunicationis latae sententiae omnes et singulos S. R. E. Cardinales pariterque Secretarium S. Collegii Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes prohibemus. — Igitur non tantum Cardinales huic excommunicationi subiiciuntur, omnes et singuli; illi etiam, qui iam excommunicati (suspensi vel interdicti) ab electione tamen, tum activa tum passiva, excludi nullatenus possunt, censuris interim quoad effectum tantum electionis suspensis (huius Constit. num. 29): sed alii etiam omnes, sive clerici sive laici, iam recensiti sub num. 3 excommunicationum iuxta praesentem Constit. Cf. ibidem.

Ne quovis praetextu. — Nullum proinde motivum, neque Ecclesiae boni promovendi aut damni vitandi: nullaque, etsi optima intentio, excusat. Agitur enim de Ecclesiae libertate in essentiali suae vitae functione, quae illaesa omnino manere debet.

A quavis civili potestate munus recipiant. — Ad censuram incurrendam duo requiruntur: 1) Ut munus committens persona sit publica, sive physica sive moralis; publica seu civili investita potestate, vel suprema vel subordinata: ideo huc non spectant privati, neque coetus ecclesiastici, ex. gr. Concilium Provinciale vel Nationale, eoque minus Ordines Religiosi; 2) ut munus sane committatur et recipiatur, seu quasi ex officio quis deputetur ad *Veto* proponendum.

Veto *seu* Exclusivam, *etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi. Exclusiva* intelligitur, quae directa dicitur, seu quae ex officio, uti supra, publice proponitur, i. e. universo S. R. E. Cardinalium coetui: non tamen *Exclusiva* tantum formalis, qua ponitur, puta, a Cardinali Coronae, tanquam verum propriumque ius; sed etiam, uti patet ex verbis relatis, alia quaevis, proposita etiam sub simplicis forma desiderii.

Proponendi. — Videtur ad censuram incurrendam sufficere ut quis munus tantum acceptet proponendi *Veto;* nam quod hic censura prohibetur non est *Veto* proponere; sed munus acceptare *Veto* proponendi. Idque confirmatur ex sequentibus.

14. - *Ipsumque* Veto, *qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant.* Aliud aliique hic indicantur ab acceptatione muneris *Veto* proponendi et ab acceptante et, uti patet, ab eiusdem *Veto*, propositione. Quod hic prohibetur sub censura est simplex *Veto* utcunque cogniti, (ergo nondum propositi) culpabilis manifestatio, sive a Cardinali fiat, sive a Secretario Conclavis, sive a quocunque alio in Conclavi partem habente. Profecto non excluditur qui munus accepit *Veto* proponendi, si hic ante propositionem, *Veto* patefaciat, sive deinde proponat sive non. — Num semel atque iterum hic eandem excommunicationem incurrit: acceptando nimirum et patefaciendo vel proponendo? — Affirmandum omnino videtur, quia duplici actione, distincte sub censura prohibita, ipse delinqueret.

Sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus. — Ideo non sufficit ad censuram ut *Veto* sibi cognitum aliis Conclavistis, praeter Cardinales, quis patefaciat; sed requiritur ut sive Cardinalis, sive Secretarius Conclavis, sive alius quilibet in Conclavi partem habens, illud notum faciat Cardinalibus. Sufficit tamen ut singulis communicetur. Collectivene singulis vel distributive? — Collective omnino videtur, tum quia, ut patet ex collatione cum primo inciso, haec etiam verba *singulis purpuratis Patribus*, sacrum collegium significant, licet non simul congregatum; tum quia agitur de *Veto*, cuius propositio praeoccupatur hac privata, quae Cardinalibus fiat, communicatione, quaeque non secus ac directa et publica propositio, districte prohibetur: atqui *Veto* nonnisi illud est, quod sacro Collegio proponitur: ergo non sufficit, si uni vel alii ex Cardinalibus patefiat.

Sive scripto sive ore etc. — Quocunque igitur medio et modo manifestatio fiat, etiam per personas interpositas; ideo et mandantes comprehenduntur.

Sive ante Conclave, sive ipso perdurante. — Ideo nulla censura, si *Veto* manifestetur, Summo Pontifice adhuc vivente vel successore iam electo. Et in utroque casu, scil. non solum perdurante Conclavi, sed etiam ante Conclave, censura nonnisi ab illis contrahitur, qui partem habent in Conclavi.

8.

Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus, aliisque quibuscumque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum: quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus et contra facientes ex nunc excommunicationis poena innodamus. — Constit. cit. num. 82.

15. - *Cardinales... abstineant* etc... *quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum.* — Non agitur hic de pactionibus etc. simoniacis, quae sub excommunicatione prohibentur sub num. 79 huius Constit. Cf. num. 5 huius Appendicis. Neque de pactionibus, conventionibus etc. quae fiant vivente Summo Pontifice et eo inconsulto, quae item sub excommunicatione vetantur sub num. 80. Cf. num. 6. Neque de tractatibus habendis, Sede vacante, pro electione, ad quos ordinantur praescriptae Cardinalium Congregationes praeparatoriae et quae sub eodem hoc num. 82 expresse excipiuntur: « tractatus autem pro electione habendos, Sede vacante, vetare non intelligimus ». Quod igitur hic sub censura prohibetur sunt obligationes, quibus Cardinales, sive omnes sive quidam sive duo tantum, sese invicem ad votum dandum vel denegandum alicui vel aliquibus, vel sese cum aliquo eligendo ad votum pro ipso ferendum, adstringerent, etsi motivo in se laudabili et recta intentione ducantur. Et merito quidem, quia istae obligationes sunt periculosae; studiis enim favent partium, minuunt electionis libertatem, ipsam electionem difficiliorem reddere possunt et id ultimo efficere ut meliores candidati posthabeantur. Quapropter etiam invalidae sunt ipso iure.

9

Si quis litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a Romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint, audeat impugnare, excommunicationis sententia innodamus. Const. cit. num. 88.

16. - *Si quis:* quicunque sit, clericus vel laicus, persona privata vel publica.

Litteras... quae a Romano Pontifice ante coronationem suam emanaverint. — Electione acceptata, non coronatione, quis est Summus Pontifex et primatu iurisdictionis potitur in Ecclesia universa. Coronatio est mera caeremonia, qua nullum novum ius electus acquirit, sed tantum uti Summus Pontifex sollemniter proclamatur. Ideo eius acta, uti Summi Pontificis, ante eius coronationem, sunt omnino authentica, neque possunt impugnari, quin Petri Successori et Christi Vicario obedientia detrectetur, eius auctoritas contemnatur et veri schismatis peccatum committatur.

Impugnare: hoc est valorem illis denegare, eo quod putetur electum ante coronationem non posse iure haec acta signare vel emanare. Si quis igitur alia ratione eadem acta impugnet, non incurrit hanc censuram.

Audeat. Ergo ignorantia excusat, etiam crassa et supina: et metus etiam levis.

INDEX

Pag.

Ad Lectorem vii

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

De censuris in genere.

Art.

I. — *De censurae notione* 1

II. — *De diversis censurae speciebus* 6

III. — *De censurae auctore* 9

a) Personae physicae 9

b) Personae morales 11

c) De modo ferendi censuras 12

IV. — *De censurae subiecto* 15

Sect. 1. De iis, qui censuris non subiiciuntur 16

Sect. 2. De iis, qui a censuris eximuntur 18

Sect. 3. De iis, qui a censuris excusantur 21

Quaestiones supplementares 23

V. — *De absolutione a censuris* 27

Sect. 1. De absolutionis natura et necessitate 27

Sect. 2. De variis absolutionis circumstantiis 30

Sect. 3. De absolvente a censuris 34

Punctum 1. De absolutione a censuris extra casum mortis et gravis necessitatis 34

Punctum 2. De absolutione a censuris in gravi necessitate extra periculum mortis 42

Punctum 3. De absolutione a censuris in periculo mortis . . 50

CAPUT II.

De censuris in specie.

Art.		Pag.
I. —	*De Excommunicatione*	54
	a) Notio	54
	b) Distinctio	54
	c) Effectus	56
II. —	*De Interdicto*	69
	a) Notio	69
	b) Distinctio	70
	c) Extensio	71
	d) Effectus	72
	e) De interdicto ab ingressu ecclesiae	76
III. —	*De Suspensione*	77
	a) Notio	77
	b) Distinctio	78
	De suspensione ab officio	78
	De suspensione a beneficio	82
	Doctrinae complementa	84
	De suspensione ex informata conscientia	86

LIBER SECUNDUS

DE SINGULIS CENSURIS

SECTIO I.

Excommunicationes.

Series I.

Excommunicationum scil. « specialissimo modo » Sedi Apostolicae reservatarum.

1. In species sacras abiicientem vel ad malum finem abducentem aut retinentem 89
2. In violentas manus in personam Romani Pontificis iniicientem . 91
3. In absolventem vel fingentem absolvere complicem in peccato turpi 92
4. In confessarium sigillum sacramentale directe violantem . . 94

Series II.

Excommunicationum scil. « speciali modo » Sedi Apostolicae reservatarum.

1. In omnes a christiana fide apostatas et omnes et singulos haereticos et schismaticos 96
2. In suspectos de haeresi sese intra tempus constitutum non emendantes 100

Pag.

3. In editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, eosdemque (libros) aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes, legentes, retinentes 103
4. In non sacerdotem Missae celebrationem simulantem aut sacramentalem confessionem excipientem 108
5. In appellantes a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis ad Universale Concilium 109
6. In recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta Sanctae Sedis eiusdemve Legatorum; eorumve promulgationem vel exsecutionem prohibentes; partes vel alios laedentes vel perterrefacientes 111
7. In edentes leges, mandata vel decreta contra libertatem vel iura Ecclesiae: in impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae per recursum ad potestatem laicalem 113
8. In trahentes ad iudicem laicum S. R. E. Cardinales, Legatos Sedis Apostolicae, Officiales maiores Romanae Curiae, Ordinarium proprium 116
9. In violentas manus iniicientes in personam S. R. E. Cardinalis, Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi 120
10. In usurpantes vel detinentes bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia 121
11. In fabricatores et falsarios litterarum etc. Sanctae Sedis et eisdem (litteris etc.) utentes 124
12. In falso denuntiantes confessarium de sollicitationis crimine . 126

Series III.

Excommunicationum scil. « simpliciter » Sedi Apostolicae reservatarum.

1. In quaestum facientes ex indulgentiis 131
2. In nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus 133
3. In praesumentes absolvere sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata 136
4. In impendentes auxilium vel favorem excommunicato vitando; et in clericos cum eodem in divinis communicantes vel eum in divinis officiis recipientes 137
5. In trahentes ad iudicem laicum Episcopum aut Abbatem vel Praelatum *nullius* vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus 141
6. In clausuram monialium violantes: in mulieres violantes regularium virorum clausuram: in moniales e clausura illegitime exeuntes 142

Pag.

7. In convertentes in proprios usus et usurpantes bona ecclesiastica; aut impedientes ne eorundem fructus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur 147
8. In duellum perpetrantes eorumque complices 152
9. In clericos in sacris et regulares aut moniales post sollemne votum castitatis, omnesque cum aliqua ex iis personis, matrimonium contrahentes 155
10. In delictum perpetrantes simoniae in officiis, beneficiis, dignitatibus ecclesiasticis 158
11. In Vicarium Capitularem aliosque omnes documenta Curiae episcopalis subtrahentes, destruentes, celantes, substantialiter immutantes 164

Series IV.

Excommunicationum scil. « Ordinariis » reservatarum.

1. In matrimonium ineuntes coram ministro acatholico, vel cum pacto ut proles educetur extra Catholicam Ecclesiam: in parentes liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerentes: in parentes eorumve locum tenentes eosdem (liberos) in religione acatholica educandos tradentes 165
2. In falsas reliquias conficientes, vendentes, distribuentes, publicae venerationi exponentes 168
3. In violentas manus iniicientes in personas clericorum vel utriusque sexus religiosorum 170
4. In procurantes abortum, effecto secuto 173
5. In religiosos apostatas a religione 179
6. In professos votorum simplicium perpetuorum, omnesque cum aliqua ex his personis, matrimonium contrahentes 181

Series V.

Excommunicationum scil. « nemini » reservatarum.

1. In auctores et editores librorum sacrarum Scripturarum vel earum adnotationum vel commentariorum 181
2. In mandantes seu cogentes tradere ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, haereticos, schismaticos aliosve, sive excommunicatos sive interdictos 183
3. In dantes vel recipientes bona ecclesiastica sine beneplacito apostolico et consensum praebentes 186
4. In cogentes sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel religiosam professionem emittendam 190
5. In omittentem denuntiare confessarium, a quo sollicitatus fuerit 193

SECTIO II.

Interdicta.

§ 1. — *Reservata.* *Pag.*

1. In Universitates, Collegia, Capitula aliasve personas morales a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis appellantes ad Universale Concilium 198
2. In donantes ecclesiasticam sepulturam infidelibus, apostatis a fide, haereticis, schismaticis aliisve sive excommunicatis sive interdictis 200

§ 2. — *Non reservata.*

1. In celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis, vel admittentes ad celebranda divina officia clericos excommunicatos, interdictos, suspensos 201
2. In eos, qui causam dederunt interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium 204

SECTIO III.

Suspensiones.

Series I.

De suspensionibus « Sedi Apostolicae » reservatis.

1. In Episcopum aliquem consecrantem in Episcopum sine mandato apostolico: itemque in Episcopos vel, loco Episcoporum, presbyteros assistentes, et consecrationem recipientem . . . 205
2. In promoventes ad ordines vel promotos aut Sacramenta ministrantes vel recipientes per simoniam 206
3. In recipientes ordines ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico 210
4. In religiosum clericum in maioribus ordinibus, cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata . . . 211
5. In ordinantes alienum subditum sine litteris dimissoriis; vel proprium subditum sine litteris testimonialibus; aut sine titulo canonico; vel religiosum, cuius religiosa familia sit extra territorium ordinantis 213
6. In professum votorum perpetuorum dimissum ob delicta iis minora, de quibus in can. 670 218
7. In Capitula, conventus aliosque omnes, ad quos spectat, electos, praesentatos vel nominatos ad beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam admittentes ante litterarum confirmationis vel institutionis exhibitionem 220

SERIES II.

De suspensionibus « Ordinario » reservatis.

Pag.

1. In clericum ad iudicem laicum sine licentia trahentem personam privilegio fori fruentem 222
2. In religiosum fugitivum 223

SERIES III.

De suspensionibus « nemini » reservatis.

1. In sacerdotem sacramentales confessiones audientem sine necessaria iurisdictione 225
2. In sacerdotem a peccatis reservatis absolventem sine necessaria iurisdictione 228
3. In ordinatum sine litteris vel cum falsis litteris dimissoriis; vel ante canonicam aetatem; vel per saltum 230
4. In Vicarium Capitularem litteras dimissorias pro ordinatione illegitime concedentem 232
5. In clericum officium, beneficium vel dignitatem in manus laicorum resignantem 233
6. In Abbatem vel Praelatum *nullius*, qui benedictionem non receperit 234
7. In Superiores religiosos subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittentes 235

APPENDIX

De censuris in delicta, quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, iuxta Constit. Pii X « Vacante Sede Apostolica » 25 Dec. 1904.

1. In S. R. E. Cardinales, valetudine non impeditos, ad scrutinium non convenientes 238
2. In mittentes extra Conclave epistolas aut cuiusvis generis scripta, etiam typis impressa, vel eadem recipientes sine praevia inspectione Secretarii S. Collegii et Praelatorum ad Conclavis custodiam deputatorum 240
3. In omnes in Conclavi partem habentes secretum violantes in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertineant et in iis, quae in Conclavi seu loco electionis agantur . . . 241
4. In S. R. E. Cardinales suis familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea manifestantes, quae scrutinium respiciant vel in Cardinalium Congregationibus acta vel decreta sunt . . 243
5. In reos simoniae in electione Romani Pontificis 245

Pag.

6. In tractantes, vivente Romano Pontifice, et eo inconsulto, de Successoris electione, aut aliquod suffragium pollicentes vel in privatis conventiculis aliquid deliberantes vel decernentes . . 247
7. In recipientes munus a quavis civili potestate *Veto* seu *Exclusivam* proponendi; et illud, utcunque cognitum, patefacientes . . 249
8. In S. R. E. Cardinales sese obligantes ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum 253
9. In impugnantes litteras super negotiis quibuscunque a Romano Pontifice ante eius coronationem editas 254

26541